




CRONOLOGIA
ROMANOR PONT
QVA IMPERATOR
CATALOG
P. THEODORI PETR
1
6
629









CHRONOLOGICA ROMANORVM IMPERATORVM TAM LATINORVM Quam GRÆCORVM HISTORIA.

Ex varijs Authoribus congesta:

OPERA ET STVDIO R. P. THEODORI PETREI Carthusiæ Coloniensis Alumni.

S. Leo Serm. 1. de SS. PETRO & PAVLO.

Romanum Regnum diuina prouidentia præparauit; cuius ad eos limites incrementa perducta sunt, quibus cunctarum vndique gentium vicina vt contigua esset vniuersitas.

Permissu Superiorum.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Excudebat PETRVS à BRACHEL, sub signo Montis-Specularis, ANNO M. DC XXVI.



ÆQVO ET BENEVOLO Lectori S.



VVM R.P.F. Theodorus Petreius nostratis Carthusiæ alumnus, primùm Romanorum Pontificum, deinde Imperatorum quoque Vitas & res gestas succincte & breuiter, diligenter obseruata temporum ratione, in Compendium redegisset, meaque in excudendo illo operâ vti vellet; tanto minus viro & religione & doctrinâ insigni denegare eam volui quanto maiores vtilitates ex id genus scriptis hauriri, ab istorum rerum peritis didiceram.

En tibi ergo alteram Partem Epitomici huius operis, quæ Imperatorum Romanorum vitas ac præcipuas res gestas iam inde à primo Romani Imperij exordio ad hæc nostra, nimirum ad FERDINANDI II. Cæsaris Triumphalis, inuictissimi (*quem vtinam Deus superstitem diu nobis esse velit!*) *vsque tempora, complectitur.*

Quod ad ipsum libri argumentum seu materiam

attinet, certum est cum priori ita coniunctam esse vt vna sine altera vix, ac ne vix quidem, recte intelligi posit.

Quum enim Status Religionis ac Reipublicæ ita à se inuicem dependeant, vt alter sine altero incolumis persistere vix posit; quis non intelligit ei qui exactam temporum velit habere notitiam, res tam in Ecclesiastico quam Politico foro gestas notas esse debere?

Videmus certe plerosque Auctores, qui vel rebus Ecclesiasticis vel sæcularibus describendis manum admouerunt, abstinere nec potuisse nec voluisse, quin Ecclesiasticas Sæcularibus, & Sæculares Ecclesiasticis admisceant.

Vtrobique videre licet humanarum rerum inconstantiam: sed maxime in Imperatorum Vitis & Imperiorum Historijs.

Vide mihi, sis, vel primum illum Romani Imperij conditorem ac Monarcham C. Iulium Cæsarem. Quam tenue tanti Imperij principium; quam splendida media; quam tristis & funestus exitus!

De sequentibus quid aliud dices, nisi velut in scenam vnum post alterum, malos bonis, sed plures fere malos, permistos prodijsse; & hos quidem tristem & abominabilem, illos gratam ac lætam sui memoriam posteris reliquisse.

Inter ipsos Christianos Imperatores fuerunt sane qui Rempublicam minus laudabiliter administrarunt: uti lector vel ex hoc ipso Compendio cognoscet: ut de ijs non dicam qui Arianæ vel alijs hæresibus aperte fauerunt: certe non pauci fuerunt qui sanctißimis Pontificibus eorumque sanctionibus & decretis derogare, atque adeo bellum inferre ausi sunt.

Obseruabit hæc omnia & singula diligens Lector, & singulorum Imperatorum vitas ac res gestas, deinde exitum quoque considerabit; Deique iudicia admirabitur.







NE folia hæcce vacarent, visum fuit subiicere Imperatores aliquot, tum Ethnicos tum Christianos, qui Ecclesiam Catholicam persequentes, impugnantes, ac vexantes, vel cœlitus à Deo puniti sunt, vel à Pontificibus Romanis ab Imperio amoti excommunicatique.

a Bellar. lib. 4. de Eccl: c. 17

a *Neronem* siquidem, *Domitianum*, aliosque Imperatores, qui persecutionis gladio in Ecclesiam desæuierunt, eiusque Hierarchas, Romanæ scilicet Sedis Antistites, è medio sustulerunt, omnes vel à seipsis, vel ab aliis crudeliter enecatos, vel certè miserrimè extinctos, constat. Nam *Diocletianus* imperium deposuit præ animi impotentia, quod voto non posset potiri suo. *Maximianus* & *Maximinus* tam horrendis correpti sunt doloribus, vt etiam ipsi eorundem Medici, à fide Christiana alieni, diuinam illis illatam esse plagam vel inuiti faterentur.

b Idem l. 5. de Pon. cap. 8.

* Bellar. eodem cap. 8.

c Naucl. Antoni: Trithem. Platin.

Cæterum, quas in Ecclesia tragœdias conciuerint, quasve molestias Romanis Pontificibus facessiuerint *Henricus* IV. eiusque successor *Henricus* V. necnon & *Otho* IV. *Fredericusq;* II. (vt alios interim missos faciam) ex eorundem vitis notum est. Qui idcirco Imperio priuari meruerunt *b* Quin & *Gregorius* II. *Leonem* Imperatorem Iconomachum à se excommunicatum, magna imperij parte mulctauit: Quod nec ipsi Magdeburgēses diffitentur, Centur. 8. cap. 10 in vita *Gregorii* II. Sicuti nec illud quidem, quod *Gregor.* VII. *Henricum* IV Imperatorem deposuerit, aliumque eius in locum subrogari demandauerit: quemadmodum habent cent. XI cap. 10. in vita huius *Gregorii*. Adde, quod* *Clemens* eius nominis VI. *Ludouicum* IV. Imperatorem à Iohanne XXII. & Benedicto XII. excommunicationis fulmine ab Ecclesia separatum, Imperij quoque diademate spoliauit. *Innocentius* vero IV. in œcumenica Lugdunensi synodo, adstipulantibus patribus omnibus, *Fridericum* II. deposuit: post cuius depositionem vacauit Imperium annis plus quam viginti quinque. De quo quidem *Frederico* ab *c* authoribus haudquaquam aspernandis, refertur, quod infœlici morte è medio sublatus sit; à Manfredo nimirum spurio, quem ex nobili concubina susceperat, qui compresso eius ore ac spiritu violenter eum Tarenti suffocauit: iusta planè Diuini Numinis vindicta. Vt qui matrem suam Romanam Ecclesiam tam miserabiliter tractauerat, à proprio suo filio pari pœna tractaretur & exstingueretur.

Licet autem vice versa ad oculum videre, quam fœliciter omnia euenerint Imperatoribus illis qui Ecclesiæ Romanæ firmiter adhæserunt, e-

amque

amque quâ armis qua verbis fideliter defenderunt. Quemadmodum constat in CONSTANTINO re ac nomine MAGNO: *quem Deus*, vti d B. Augustinus ait, *tantis terrenis impleuit muneribus, quanta optare nullus auderet. Vniuersum siquidem orbem Romanum vnus Augustus tenuit & defendit.* D. THEODOSIO autem Seniore idem e Augustinus ibidem scribit, ei quod verè pius ac Catholicus esset, adeo prosperè omnia successisse, vt in prœlijs hostium tela, in ipsos eosdem, à quibus emissa erant, Deo id agente retorquerentur. De HONORIO quoque planè Catholico, & Romano Pontifici addictissimo constat, ita Deum pro illo pugnasse, vti vno in prœlio vltra centum Gothorum millia postrata sint, ipseque rex Radagaisus captus ac interemptus, ex Romanis verò (: quod summè mirandum:) ne vnus quidem vulneratus, nedum extinctus sit. De *Theodosio* iuniore, sicuti & *Iustiniano* seniore, alijsque Catholicis Imperatoribus si quis plura cupiat, Bellarmini locum ad marginem proximè citatum adeat.

d lib. 5. de ciuitat. cap. 25.

e Quem admodum citatur à Bellar. lib. 4. denotis Eccl. c. 18



Licen-



Licentia Reuerendiß. Patris Generalis Ordinis Carthuſienſ. Authori data.

PLACET nobis, dilecte fili, pium tuum & aſsiduum in ſcribendo ſtudium. Quod & laudamus, teque ſtudioſè ad pergendum in illa propenſa de re Chriſtiana benè merendi voluntate hortamur, &c.

P. BRVNO, PRIOR MAIORIS CARTHVSIÆ.

Eiuſdem Reuerendiß. Patris ad eundem alijs in literis.

PERSTATE igitur alacriter in hoc glorioſo iuuandæ Eccleſiæ ſtudio. Quod vt faciatis, GENERALEM vobis LICENTIAM damus edendi in lucem cætera quæ excudetis opuſcula.

APPROBATIO CENSORIS.

F*Acultatem concedo ego infra nominatus, vt* Chronologia Romanorum *ſimul ac* Græcorum Imperatorum Hiſtoria, *de Vitis ac rebus illorum geſtis, à* Reuerendo Patre Theodoro Petreio, Carthuſiæ Colonienſis Religioſo, *ex probatis Authoribus concinnata, Reipublicæ Chriſtianæ bono in lucem edatur. Coloniæ 10. Septembr. Anno* 1626.

Henricus Francken Sierſtorffius, SS. Theol. Doctor, Gymnaſij Laurentiani Regens, Librorum Cenſor.

PRO-



PROLOQVIVM.



ROMANI Imperij potentiam simul ac magnificentiam Propheta *a* Daniel *ferro* omnia comminuenti & edomanti, nec non & *b bestiæ* cuidam *terribili*, obuia quæque deuoranti ac pedibus conculcanti, haud immerito comparasse legitur. Vtpote cuius potentiæ, virtuti ac fortitudini qua longè lateque omnia sibi subiecit, nihil hactenus comparabile Orbis terrarum habuisse compertum est. Quod ex eius finibus, copijs, opibus, operibus, viris denique ac virtutibus constare posse, *c* magnus quidam nostri æui Historicus quatuor eruditis ac iustæ magnitudinis libris accuratè probat & ad oculum demonstrat. Prorsus vt haud vanè olim apud *d* Liuium vaticinatus sit Romulus, *nullas opes humanas armis posse Romanis resistere.* Vti & non malè *e* Poëtarum Princeps:

a c.1.v.4
b c.7.v.7
c Lipsius de magnitudine Romana.
d Lib.1. Decad.1.
e Sub finem l.6. Æneid.

Tu regere Imperio populos, Romane, *memento,*
(Hæ tibi erunt artes) pacique imponere morem,
Parcere subiectis, & debellare superbos.

De gentis autem huius generositate ac durabilitate præclare idem sentit, dum vocat *f Romanos rerum dominos, gentemque togatam.* Tum & *g* alibi ita Ioue appromittente introducit illa inclyta Roma:

f Ibidem.
g Lib.1. Æneid.

Imperium terris, animos æquabit Olympo
Huic ego nec metas rerum, nec tempora pono,
Imperium sine fine dedi.

Et est quidem ita, quod Romanæ Vrbi ceu capiti Orbis; totius penè terrarum Orbis imperium ad annos admodum multos diuina prouidentia concesserit; eam maximè ob causam (ait *h* B. Augustinus) *quia ad domanda grauia mala multarum gentium, Romani iustitiæ & æquitatis magis studiosi, ob solam gloriæ ingentem cupiditatem, cæteras cupiditates omnes comprimebant.* Cuius equidem nomine plurimum in *i* Machabæorum libris, Romanos fuisse commendatos legi-

h l.5. de ciuit. Dei cap.12.
i lib.1.c.8. vers.1.

mus; nec abnuit Apostolus Paulus Cæsaris tribunali Romæ se siste-re, dum à gente sua inique tractatus Hierosolymis, ad illud *k* constanter appellare auditus est. *k Act. 25. vers. 10.*

De *Romanis* igitur *Imperatoribus* exiguum huncce laborem, aliorum rogatu suscipiens, Lectorem beneuolum præmonitum cupio me non tam integras eorum ad longum vitas deducturum, quam compendio duntaxat præcipua quæque ac magis scitu digna, vti & Pontificum in Vitis factum, delibaturum. Quando alioquin apud Suetonium, Tacitum, Dionem Cassium, Herodianum, Vopiscum aliosque, eas ad satietatem vsque licet legere. Vnde ab ipso mox *Iulio* exordiendum. De cuius stirpe idem Poëta: *Virg. l. 1. Æneid. circa medium.*

Nascetur pulchrâ Troianus origine Cæsar,
Imperium Oceano, famam qui terminet astris,
Iulius, *à magno demissum nomen* Iulo.



I. CAIVS



I. CAIVS IVLIVS, DICTATOR, CAESAR.



Atvs est igitur *Iulius Cæsar Romæ, C. Mario sextùm* & *L. Valerio Flacco Coss*, ad IV. idus Quintileis, anno ab Orbe condito 3904. Vrbis verò conditæ sexcentesimo quinquagesimo tertio, ante natum Christum nonagesimo sexto. Qui parentes habuit L. Cæsarem Prætorem, & Aureliam C. Cottæ filiam, primariæ dignitatis, ac castæ Latinitatis fœminam; ita vt nitidè ac eleganter Romanè loqueretur; qua & ab infantia filium ita imbuit, vix vt vllum suo tempore parem, nedum superiorem in scribendo loquendoque Cæsar habuisse existimetur. Accessit quod à M. Antonio *Gniphone*, homine Gallo, magno ingenio, ac singulari memoria viro edoctus est. Vnde annum agens sextum decimum, cum vndiq; æstuarent Syllanæ tempestates, Vrbe discedens, prima de more nobilium Romanorum stipendia fecit, donatus aliquando corona ciuica Natus iam annos viginti & vnum, in foro eloquentiam exercuit. Tum Quæstor creatus, vlteriorem Hispaniam sortitus est, & aliquando pòst *Pontifex* creatus, quintùm Consulem egit, ac quinquies bellis fœliciter confectis triumphauit. Imò verò non totum belligerans decennium, omnem fermè Galliam, quæ Alpes inter & Rhodanum, Rhenum & Oceanum est, perdomuit. *Magnum* quoq; Pharsalico prœlio *Pompeium*, generum videlicet suum fudit fugauitque, non ferens superiorem, sicut nec ille parē. Vxores tres omninò habuit, *Corneliam* videlicet, *Pompeiā*, & *Calpurniam*, L. Pisonis filiam, indulgens interim promiscuæ Veneri. Quippe, qui & cum *Cleopatra* Ægypti Regina consueuisse scribitur, & pudicitiam suam apud *Nicomedem* Bithyniæ regem prostituisse, quemadmodum *l Suetonius* memoriæ prodidit. Multa de ornanda instruendaque Vrbe, ampliandoque imperio cogitauit, sed morte præuentus finire non potuit. Nam non contentus perpetua Dictatura, cum absolutè rerum potiri vellet, ac Cæsarea solus dignitate perfrui, graue sibi odium Senatus conciliauit, estque conspiratum in eum à septuaginta amplius senatoribus. Quorum principes *C. Caßius* & *M. Brutus* cum essent, ipsis idibus Martijs, anno Vrbis conditæ septingentesimo nono in celebri magistratus consessu, viginti tribus vulneribus confossum, agentem iam annum ætatis quinquage-

Anno orbis 3904. vrbis 653. Ante natum Christū, 96.

l. In vita eius, cap. 50. & se.

Anno Vrbis cōdita 709. ante Christum verò natum, 42. Die 15. Mar.

Ante natum Christum. quagesimum sextum, atrociter trucidarunt. Cuius necem diuersa præcessisse prodigia historici memorant. *m* Nam ea nocte cui illuxit dies cædis, & ipse sibi visus est per quietem interdum supra nubes volitare, & *Calpurnia* eius vxor somnio territa (nã maritũ quẽ impensè adamabat suo in gremio cõfodi somniabat) hortari maritũ sedulò, ne curiã eo die ingrederetur, non destitit. *m Sueton. cap. 82.*

Atque hic fuit infœlix primi Romanorum *Cæsaris*, imperium ambitiosè arripientis, exitus; *sicque ille qui terrarum Orbem ciuili sanguine* (vti Iulius Florus de eo loquitur) *impleuerat*, *tandem ipse sanguine suo curiam impleuit*. Fuerat animus coniuratis, corpus occisi in Tiberim pertrahere, bona publicare acta rescindere, sed metu M. *Antonii* Consulis, & Lepidi equitũ Magistri, destiterunt. Vnde maxima pompa funus in cãpo Martio celebratũ, ac rogus iuxta *Iuliæ* tumulum extructus est, luctu publico, summisque honoribus corpus incineratum. *n* Fuisse traditur statura excelsa, colore candido, teretibus membris, ore paulo pleniore, nigris vegetisque oculis, capite caluo, & ob id laurea semper ornatus. De cuius rebus domi forisque gestis ipse suis in Commentarijs luculéter eleganterq; scribit. Octauiũ porro sororis Iuliæ nepotẽ, hæredẽ instituens, eũ etiã in familiã nomenq; adoptauit. *n Sueton. cap. 45.*

II. OCTAVIANVS AVGVSTVS.

OCTAVIANVS Cæsar Augustus, sororis C. Iulij Cæsaris nepos, patre *Octauio*, matre *Actia*, M. Tullio Cicerone, & M. Antonio Coss. Romæ in regione palatij ad *capita Bubula* natus est nono Calendarum Octobris, paulo ante Solis exortum. Quorum quidem consulum annus incidit in annum conditæ Vrbis sexcentesimum nonagesimum, mundi vero 3941. Quadrimus autem patrem amisit: & duodecennis, assumpta iam virili toga, auunculum suum in Hispanias subsequutus est, inde verò studijs applicare animum cœpit. Cæterum vt necem auunculi vindicaret, comparato copioso exercitu, bellum contra coniuratores, ipsumque M. *Antonium* gessit, quem & postea circa promontorium Actium superauit ac debellauit. Varijs perfunctus ex animi sententia terra marique prœlijs, Ianum à condita Vrbe bis clausum, tertiò clausit. Cuius quidem Imperii initium à diuersis diuersimodè numeratũ reperitur. Quando nõnulli à primo *consulatu* eius annos deducunt, alij à *Triũuiratu*, quidã ab *Actiaca victoria*, quando potissimũ cœpit Imperii forma & Monarchia, summaq; rei (deuicto iã penitus ac prostrato Antonio) ad vnũ *Augustũ* deuoluta est. De cuius indole, fœlicitate ac benè Rempublicã regendi dexteritate, pleni sunt Historicorum ac Poëtarum libri. Nobis sufficiet pauca ex his & illis delibasse. Et quidẽ id compertum in primis est, plurima huius Augusti Imperatoris tempore admiranda accidisse. Cum enim esset Sibyllinorum librorum amantissimus (hos etenim, delectu habito studiosè conquisitos, duobus forulis auratis (vt *n* Suetonius scribit) sub Palatini Apollinis basi, recondidit) ex ijs cognouisse dicitur alium suo æuo Regem ex virgine proditurum, vel vt *o* Suetonij verba ha-

Anno orbis 3945. Vrbis 690 die 23. Sept. ante natum Christũ circiter 60.

Anno V.C. 722.

n In vita Augusti.

cap. 31. ba habent, *Naturam populo Romano Regem* (certè non alium quam *Christum*
Ca. 94. vti nos interpretamur) *parituram*. Vnde cũ statuæ aliquãdo in Capitolio cœlitus liquefactæ essent, ipseq; Augustus Apollini, cuius colendi studiosissimus erat, vt qui crederetur Apolline genitus, cuiq; templũ in Palatino erexerat, sacrificans, nullum, vti solitus erat, aliud ab eo responsum ferret, quàm,

Ante natum Christum

Me puer Hebræus diuos DEVS *ipse gubernans*
Cedere sede iubet, tristemque redire sub orcum.
Aris ergo dehinc tacitus abscedito nostris,

Suid. in hist. verbi Aug. Mox aram in Capitolio hac inscriptione notatam erexit, *Ara Primogeniti Dei*. Tum quoque non desunt authores, qui scribunt Deiparam Virginem Mariam infantem in vlnis habentem, monente Sibylla, sublimem in aëre ab eodem Augusto illic conspectam esse.

p cap. 95. Et Oros. histor. li. 6. ca. 18. *Cæterum* id p Suetonio referente constat, quod cum Caio Cæsare auunculo suo interfecto ex Apollonia rediens, Vrbem ingrederetur hora circiter tertia, repentè liquido ac puro sereno circulus ad speciem cœlestis arcus orbem solis ambierit, quasi vnum eum ac potissimum in hoc mundo Solem clarissimum monstraret, cuius tempore venturus esset, qui ipsum Solem solus, mundumque totum & fecisset & regeret. Neque ad fœlicia pacataque hæc tempora ineptè allusisse videtur Vatum ille Princeps, qui multa hac de re præclarè cecinit, vtpote, q

q Virgil. Eclog. 4.

Vltima Cumæi venit iam carminis ætas.
Iam redit & virgo, redeunt Saturnia regna,
Iam noua progenies cœlo demittitur alto,
——— *ac toto surget gens aurea mundo.*

Et pòst de ipso Augusto,

Ille Deûm vitam accipiet, diuisque videbit
Permistos Heroas, & ipse videbitur illis,
Pacatumque reget patriis virtutibus Orbem.

V. C. 750. Anno siquidem huius Imperatoris quadragesimo secundo, placuit Patri cœlesti filium suum in terram, pro humani generis salute mittere; qui carnem ex Virgine assumens, cœli terræque *Dominus* existeret: prorsus vt non sine causa Octauianus Augustus, *Domini* appellationẽ, ceu maledictum

r Sueton. cap. 53. & opprobrium semper exhorruerit, nolens ab ipsis liberis aut nepotibus suis, vel seriò vel ioco hoc nomine cohonestari. Nec caruit interim etiam alijs virtutum donis. Nam & Orbem pacatè gubernauit, & Vrbem diuersis elegantissimarum ædium structuris exornauit, adeo vt non immeritò gloriari solitus sit, marmoream se relinquere, quam lateritiam reperisset. Et quod mirum est, ipsamquoque Iudæorum, ex qua *Christus* nasciturus erat, Gentem, vsque adeo dilexit ac fouit, vt, teste s Philone eo tempore viuente, in

s de leg. ad Caiũ. Hierosolymitano templo, menstruo suo ære quotidiè Deo altissimo victimas ex voto immolari mandauerit.

Anno Christi	Imperij	Mensi	Dies
16 die 18 Aug.	44		

Insistens porro vestigijs *C. Iulii*, prædecessoris sui, annum ab eo ordinatum, sed postea negligentia conturbatum atque confusum, ad pristinam rursus rationem redegit. In cuius ordinationem *Sextilem* mensem à suo cognomine nuncupauit, magis quam Septembrem quo natus erat. Senatorum insuper affluentem numerum deformi & incondita turba, ad pristini splendoris dignitatem postliminio reuocauit; liberalem se domi forisque exhibuit. Regna quibus belli iure potitus erat, præter pauca, aut ijsdem quibus ademerat, reddidit, aut alienigenis contribuit. Affabilem se summis imisque præstitit. Ob quod Senatui populoque Romano gratissimus dilectissimusque extitit, prorsus vti eum *Patrem patriæ* cognominauerint. Matrem in primo consulatu, sororem verò *Octauiam* quinquaginta & quatuor annos habens, amisit: cui vtrique cum præcipua charitatis officia viuæ præstitisset, etiam defunctis honores maximos exhibuit. Summa fuit in eo clementia, summa moderatio, ciuilitas, humanitas. *Sueton. cap. 31.*

Mortuus est tandem *Nolæ* in Campania profluuio ventris, eodem in cubiculo, quo pater eius *Octauius*, exitu admodum facili, decimo quarto Kalendarum Septemb. cum annos septuaginta quinque, menses decem, & dies viginti sex vixisset. Regnauit quidem cum Antonio & Lepido annos duodecim, sed postquam *Actiaca* esset potitus victoria, Imperium solus gessit, annos quadraginta quatuor, demptis diebus tredecim. Qui verò numerant annos eius Imperij à Triumuiratu inchoato, regnasse colligunt annos quinquaginta sex, & menses sex; qui autem supputant annos à nece Cæsaris, quo anno collata est ei à Senatu summa Imperij potestas, quinquaginta septem annos, menses sex, ac dies duos annumerant. † Tacitus porro regnasse eum ait annos quinquaginta & octo, quod scilicet eius anni dimidium, & amplius regnasset. Corpus eius maximo cum honore ac funebri pompa ad Vrbem delatum, inibique crematum fuit: reliquiæ verò in Mausoleo, sibi inter Tiberinum amnem & Flaminiam viam extructo, impositæ. Fuit *Augustus* statura breui, corpore toto pulcher, & forma eximia per omnes ætatis gradus, lenocinii omnis negligens, vultu sereno tranquilloque, oculos habuit glaucos, claros magis ac nitidos, dentes raros & exiguos, capillos leuiter inflexos & subflauos, supercilia coniuncta: nasum à summo eminentiorem, ab imo deductiorem, ita vt vniuersa corporis Augusta compages Cæsarem verè *Augustum* præ se ferre videretur. *† Lib. de Orat.* *Suitoni. cap. 79.*

III. TI-

Christi	Imperij.	Mensis	Dies.

III. Clavdivs Tiberivs Nero.

DECIMA quarta Calendarum Decembris *Auguſtus* ſucceſ-
ſorrem accepit *Tiberium Neronem*, ex patre *Tiberio Ne-
rone*, qui ſub Iulio Cæſare bello Alexandrino Quæſtorem e-
git, & matre *Liuia Druſilla*, *XVI*. Kal. Dec. anno Vrbis 711. qui
fuit ante Chriſtū natū quadrageſimus, M. Æmilio Lepido ſe-
cũdùm, & Munatio Planco cōſulibus, Romæ natū. Qui ab Au-
guſto adoptatus, poſt eius mortē mox capeſsiuit imperiū deci- 16
ma quinta Cal. Sept. annum agens quinquageſimū quintū vel die 18
ſextum. Ac primò quidem ſe liberalem modeſtumque præ- *Aug.*
bens, varia eaque præclara edixit, vtpote de veſte ſerica non
vtenda, de aureis vaſis extra ſacrorum vſum nequaquam adhi-
bendis; item nonnulla contra magiam & diuinationem. Vecti-
galia quoque, monopolia, ædificia, delectum exercitus Pa-
trum more decerni ſtatuit, authoritate Conſulum ſingula
quæque adminiſtrans. Præſidibus prouinciarum tributa ſua-
dentibus reſcribens: *boni*, inquit, *Paſtoris eſt tondere pecus, non
deglubere*. At poſtmodum ad diuerſa flagitiorum genera pro-
lapſus eſt, eaque perpetrauit, quæ ne dici quidem fas eſt. Vini
porro adeo fuit appetens, vt *Calidus Biberius Mero* iocularitor
pro Claudio Tiberio Nerone nuncupatus ſit. Præſtantes ali-
quot ingenio viros trucidauit; odiū in propinquos & neceſſa-
rios exercuit; vtpote in *Druſum* fratrem, & *Iuliam* vxorē, quā in
exiliū relegauit. Liuiam matrē ad ſe venire nōniſi rariſsimè paſ-
ſus eſt, nec defunctæ honoris quidquam exhiberi ab alijs per-
miſit. M. *Agrippam* iuuenem cohæredem ſuum, priuſquam
mors Auguſti diuulgaretur, interfici iuſsit. *Germanicum* Druſi
filium, Auguſti iuſſu ſibi adoptatum, veneno interfici manda-
uit; *Agrippinam* nurum in exilium amandauit nec minorem
crudelitatem in nepotes & amicos exercuit. Eius anno quin- 31 15
todecimo Chriſtus Dominus Euangelicæ prædicationis lu-
men longè lateque ſpargere cœpit, quando & baptiſmi laua-
cro à Baptiſta Iohanne tingi dignatus eſt: & anno eius impe-
rij octauo decimo, in crucem pro humani generis ſalute agi. 34 18
Cuius ſupplicium vnà cum rebus admirandis ab eo geſtis *Ti-
berius* per Pilatum intelligens, de *Chriſti* diuinitate ad Senatum
retulit, vti in Diuorum numerum adſcriberetur. Qui quidem
Tiberius anno imperii ſui vigeſimo ſecundo in *Aſtura* propè
Campaniam incidens, in villa *Luculliana* decimo ſeptimo Cal.

Aprilis

Anno Christi	Imperij	Mensis	Dies
39 die 16 Mar.	22	6	20

Aprilis, obijt, ætatis anno ſeptuageſimo octauo, cum imperaſſet annis viginti duobus, menſibus ſex & diebus viginti. Cuius morte ita lætatus eſt populus, vt clamitarent eum in Tiberim proijciendum. Romam tamen delatum corpus, publico funere crematum eſt. Vir fuit corporis ampli ac robuſti, ſtaturæque proceræ, manu ſiniſtra agilior & validior, articulis ita firmis, vt recens & integrum malum digito terebraret, caput pueri vel adoleſcentis talitro vulneraret; coloris candidi, naſo oblongo, prægrandibus oculis, quibus etiam in tenebris videbat. Liberalibus artibus apprimè eruditus, Latinæ iuxta ac Græcæ literaturæ cognitione probè imbutus, licet ingenio peſſimo, truci, auaro. Suetonius in eius vita c. 68

IV. Caius Caligula.

39

Defuncto hoc modo *Tiberio*, ſucceſſit fauore militum potius quam eius teſtamento *Caius*, à caligis quibus vtebatur, *Caligula* caſtrenſi ioco, vt *x* Suetonius ait, nuncupatus, ex Germanico & Agrippina prognatus. qui qualis fuerit, ſolus Seneca ad Albinum ſcribens, vnica hac ſententia facilè nobis dixerit, quando ait: *y Hunc mihi videtur rerum natura ediſſe, vt oſtenderet quid ſumma vitia in ſumma fortuna poſſent*. Homo etenim portentoſæ libidinis, ac ſummæ crudelitatis exſtitit. Qui & ternas ſuas conſtupraſſe ſorores *z* legitur: pudicitiæ neque ſuæ, neque alienæ parcens. Peroptabat famem, cædem, peſtem, incendia, terræ etiam hiatum, vt ſua tempora inſigni aliqua hominum clade illuſtriora efficerentur. *Homeri* carmina flammis exurere eſt conatus. *Virgilium* ignorantiæ, *Liuium* loquacitatis arguit: quos vnà cum Iuriſperitorum ſcriptis exſtirpare decreuerat. Quibus equidem non contentus, ceu Deum tandem ſe adorari præcepit, templa ſuum in honorem exſtrui, ſtatuas dedicari, eaſque Hieroſolymitano in templo collocari, &c. quoadusque, per Chæream Caſſium Tribunum, & Cornelium Sabinum triginta vulneribus confoſſus, anno ætatis vigeſimo nono, imperij verò tertio, & quod excurrit, Kalendis Februarij, occubuit. Cuius quidem imperij tempus à die obitus *Tiberii* Imperatoris numerandum eſſe *a* Suetonius ait. Vir fuit ſtatura eminenti, pallido colore, corpore enormi, fronte lata & torua, capillo raro ac circa verticem nullo, animo crudelis & inſatiabilis.

Anno Christi	Imperij	Mensis	Dies
43 die 1. Febr.	3	10	8

x Cap. 9.
y Libro de conſol. ad Albin.
z Sueton. cap. 36.
a cap. 59.

Annus Christi | Imperij. | Mens. | Dies.

V. TIBERIVS CLAVDIVS II.

POST Caium vero *Tiberius Claudius Drusus Germanicus,*
Drusi Neronis & *Antoniæ* filius, *Liuiæ* Augustæ nepos, an- 43
nos natus quinquaginta, factione Prætorianorum militum,
capessiuit imperium. Qui vniuersam penè pueritiam & ado-
lescentiam conflictatam habuit, prorsus vt animo simul &
corpore esset propemodum hebetiore. Vnde ab *Antonia* ma-
a Sueton. cap. 3. tre sæpè *portentum hominis* dicebatur, *quasi à natura inchoatus,*
sed non absolutus foret. Expeditionem in Britanniam adornauit,
quam cum in deditionem accepisset, sexto demum mense in
Vrbem reuersus, triumphum percelebrem egit. Curam Vrbis
maximã habuit. Cuius anno imperij secundo, cũ ingens per to- 44
tum terrarum orbem fames, de qua *b* Lucas in Actis, inualuis-
b cap. 11. vers. 28. set, ille præclaram nauauit operam, ne Vrbs inedia periclita-
retur. Tunc enim Romanum portum exstruendi initium ab
c Hist. li. 60. eo esse consilium *c Dio Caßius* commemorat. Commendat &
d Suetonius eiusdem Imperatoris in annona procuranda so-
d cap. 18. lertiam. Aquam etiam *Claudiam* in Vrbem introduxit, & spe-
ctacula magnifica edidit: partim interim æquus in Iudæos,
quos omnes anno imperij sui septimo, publici edicti pro-
clamatione ab *e* Vrbe expelli mandauit. *Agrippinam* verò Ger- 51
e Act. 18. vers. 2. manici fratris filiam, quam post interitum *Messalinæ* idem
Claudius vxorem acceperat, *Augustæ* titulo insigniuit, eiusque 52
Nero adoptatus à Claudio in familiam, successor imperij deputatur. filium *Domitium*, ab eodem Imperatore adoptatum in fami-
liam *Claudiam*, *Neronem* Claudium nuncupari voluit. Quo
etiam anno præfata *Agrippina* Augusta in oppidum Vbiorum,
in quo agente illic cum exercitu *Germanico* patre genita est,
coloniam duci iussit; cui in præsentem vsque diem *Coloniæ A-*
grippinæ nomen adhæret.

Cæterum Claudius fraude tandem vxoris suæ Agrippinæ ve-
neno potionatus, tertio idus Octobris annum agens ætatis
sexagesimum quartum, interijt: in imperio verò habens deci-
f Li. hist. 60. mum tertium, menses octo, & dies viginti, vti numerat *f Dio* 56 die 13 Octo. | 13 | 8 | 20
Caßius. Funeratus est pompa percelebri, & in Gentilium De-
orum numerum relatus. Vir specie & canitie venusta, corpo-
re prolixo nec exili, capite tremulo, ac valetudine semper gra-
ui. Conuiuijs plus nimio deditus, vini cibique appetentissi-
mus, somni breuißimi, libidinis in fæminas profusißimæ, aleæ
perquam studiosus, natura truculentus ac sanguinarius, timi-
dus alioquin & ad omnia pauidus.

Annus Christi	Imperij	Mens.	Dies.
56 Die 14 Octo.			
58			
69			

VI. DOMITIVS NERO.

ET licet *Claudius* talis esset, successor tamen ferocitate ac tyrannide multis eum modis superasse legitur, adeo vt ipsa quasi tyrannis fuisse perhibeatur. Qui quidem fuit *Domitius Nero*, ex *Cneo Domitio* Nerone, & *Agrippina* Germanici filia, octauo decimo Calend. Ianuar. anno Christi 38. natus. Mortuo verò Claudio, cum annos inciperet agere octodecim, medio die ante idus Octob. Imperator salutatus est, laudatumque fuit imperij eius initium de humanitate ac clementia. Nā erga Iudæos, à *Claudio* Roma eliminari iussos, visus est propensior. Quorum Regem Agrippam mox quatuor ciuitatibus donauit, De quo *g* Seneca præceptor eius commemorat, quod cum de supplicio cuiusdam capitis damnati ageretur, & vt subscriberet libello supplicij deputati admoneretur, chartam inuitus accipiens, in hæc clementiæ verba eruperit, *quam vellem nescire literas!* Cuius clementiam etiam ipse Paulus Apostolus expertus est, quando secundo imperij eius anno ex Iudæa vinctus Romam missus, & liber à Nerone dimissus, biennio istic liberaliter humaniterque habitus est. *g lib. 2. de clemētia.*

Cæterum, in alium virum aliquanto post mutatus, non minus in suos, quam in Christianos passim desæuire est aggressus; nemini vel sonti vel insonti parcens, sed sursum deorsum omnia peruertens, aurigandi, scortandi cytharizandique studio nunquam non intentus. Imo & comessationibus compotationibusque ita efflictim vacando, vti è medio die ad mediam vsque noctem epulas protraheret, atque inter ganeonum scortorumque greges nudus saltitaret, matrem incestaret, *Rubriam* Vestalem sacrilegè violaret, vrbem flammis concremaret, aliaq; flagitiorum genera nefandum in modum designaret. Prorsus; vt in talibus perpaucos consimiles habuisse existimandus sit. Non solum enim binas vxores suas *Octauiam* & *Poppæam*, sed & ipsam quoque parentem suam, sicuti & Senecam præceptorem suum violenta nece è medio tolli imperauit. Vbi vero in ipsos beatissimos innocentissimosque Christi Apostolos *Petrum* & *Paulum* manus iniecit, haudquaquam impunè id suum facinus tulit. Cum enim rebus sibi omnibus aduersantibus, videret se his & illis passim exosum esse, & quod animo conceperat, vniuersum se Senatum interficere (optabat enim Romanos omnes vnam duntaxat ceruicem habere, *Persecutio Christianorū prima sub Nerone.*

habere, quam carnificis falci facilè demetendam ſubijceret) non poſſe, quodque à Prætorianis etiam militibus deſertus, eſſet, deſperatione melioris ſtatus omninò deficiens, vili indutus veſte fugam arripiens, vnà cum tribus vel quatuor libertis, in prædium vnius ex his Phaonis nomine, inter viam Salariam & Nomentanam, quarto ab Vrbe lapide poſitum, venit. Vbi in ſpelunca delitelcens, cùm equites à Senatu ad eum inſequendum miſſos, aduentare cognouit, ſibi ipſi licet pauidus, manus intulit. Quem ægrè morientem vnus ex libertis Epaphroditus confecit quarto idus Iunij (ea nimirum die qua olim Octauiam coniugem interfecerat, anno quoque duntaxat vno & diebus viginti poſtquam Apoſtolos interemerat) ætatis anno trigeſimo ſecundo, cum imperaſſet annos tredecim, menſes ſeptem, dies viginti octo, numerando à die ſequenti obitus Claudij.

Annus Christi	Imperij	Menſ.	Dies.
70 *die 10 Iunii.*	13	7	28

VII. Servivs Svlpitivs Galba.

CVm ſic igitur *Nero* ſpontanea nece ex hac vita migraſſet, exſtinctaque prorſus progenies Cæſarum eſſet, *Seruius Sulpitius Galba* à militibus, quibus præerat, acclamatus eſt Imperator: natus patre Sergio Galba, & matre Numia Achaia ex nobiliſſima Sulpitiorum familia, Valerio * Meſſala, & Cn. Lentulo conſulibus, anno ſcilicet ante natum Chriſtum tertio. qui etſi multa egregij Principis documenta in Vrbem veniens (abſens etenim erat, & circa Narbonam Galliarum oppidum verſabatur, cum Oratores à Senatu ad eum de Neronis obitu nunciantes mitterentur) ederet, nequaquam tamen grata erant. Vnde vniuerſis propè ordinibus odioſus, apud milites verò præcipua flagrabat inuidia, quos nulla largitione donatos, inani duntaxat ſpe demulcebat ac deludebat. Qui conſpiratione facta ad lacum Curtium, in foro Romano eum trucidauerunt. Cuius caput per militem gregarium à ceruice reuulſum, ad Othonem delatum ac cum ludibrio circumlatum eſt. Truncum verò corpus ab *Argio* diſpenſatore in hortis eius Aureliæ viæ ſepultum. Sic perijt tertio & ſeptuageſimo ætatis anno, cum tenuiſſet Imperium menſes ſeptem & diebus totidem. Vir fuit ſtaturæ iuſtæ, capitis calui, oculis cæruleis, adunco naſo, qui in vniuerſo corpore morbo articulari conflictabatur; pecuniæ alienæ vti non appetens, ita ſuæ perparcus, & publicæ auarus.

* *Meſſalina.*

Annus Christi	Imperij	Menſ.	Dies.
70			
71 *die 16 Ianu.*		7	7

Annus Christi	Imperii	Mens.	Dies

VIII. M. SYLVIVS OTHO.

71 ARRIPVIT mox Imperiũ, fauore militum, quos in *Galbam* concitauerat, *M. Syluius Otho*, Neroni olim charissimus, à quo in Hispaniã missus fuerat Quæstor. Homo à prima ætate prodigus ac procax, adeo vt eo nomine multis sæpè flagris à patre afficeretur. Cuius electionem exercitus Romanus in Germania constitutus haudquaquam ratam habens, A. Vitellium aduersus eum Imperatorem creauit, qui in Italiam præmisit exercitũ, de summa rerum cũ *Othone* ipse postea dimicaturus, cum ille siue rerum disperatione, vel ne sui causa (vt tradunt) bello ciuili inter se milites necarentur, sibi ipsi prudens scienſque mortem duodecimo Calend. Mart. consciuit,

71 *die 20 Apr.* | 3 | 5 | pugione quem puluino subdiderat infra læuam maxillam validè defigens: anno ætatis suæ trigesimo octauo, die vero Imperij nonagesimo quinto, apud Veliternas funeratus. Vir legitur fuisse staturæ exiguæ, capite caluus, quod galericulo etiam ob causam obtegere consueuerat.

IX. AVLVS VITELLIVS.

71 SVCCESSIT in imperio A. *Vitellius*, *Lucii Vitellii* illius filius, qui sub *Claudio* Syriam prouinciam administrauit, de Iudæis istic quam optimè meritus, matrẽ habens *Sextiliam*, probati nominis, nec ignobilis familiæ fæminam. Quià *Galba* in Germaniã missus, Coloniæ Vbiorũ aliquamdiu cum exercitu substitit, à militibus, (vt *h Tacitus* habet) per celeberrimos ciuitatis vicos circumlatus, & *Imperator primò* à *Fabio Valente*, vnius legionis duce salutatus; postmodũ verò ab vtriusq; Germaniæ legionibus Augustus vocitatus. Verum cum Romam profectus, turpissimè imperitare inciperet, tam Senatum ac populum, quam milites rerum nouandarum cupido actutum incessit, existente tunc istic *Vespasiano*; qui Vrbis cladem commiseratus, iraque simul inflammatus, de liberanda Vrbe ipsoque Orbe deliberauit. Quod cum militibus innotuisset, *Vespasianum* Imperatorem acclamarunt, contra *Vitellium* coniurantes, eique bellum facessentes. Quibus præsto mox fuit *Mucianus* Syriæ Præses quatuor cum legionibus, sperans se *Vespasiano* collegam in Imperio fore. Nec defuêre alijs ex locis Legiones, opem eidem adferentes; adeo vt terna vice cum

h Li. histor.

Vitel-

Annus Christi	Imperij	Mens.	Dies.
71 die 3 Oct.		8	5.
71 Die 3 Iulii.			

Vitellianis Romæ confligentes, in ſummas eum anguſtias redegerint. Qui vti erat homo ignauiſsimus ac timidiſsimus, ſæpius fugam captans, ac rediens, demum ſe occultans, à militibus perquiſitus & inuentus, ſæuiſsime quinto Nonarum Octob trucidatus eſt, iniecto prius ceruicibus laqueo, & mucrone ſub mentum poſito, vt ad ludibrium viſendam præberet faciem, quibuſdam cœno interim ac ſtercore eum inceſſentibus, nonnullis vero incendiarium ac helluonem, alijs ebrioſum vociferantibus. Quibus libera voce, *Se tamen Imperatorem eſſe*, reſpondit. Hunc infœlicem vitæ exitum *Vitellius* habuit imperij ſui (vt i Ioſephus tradit) menſe octauo, die quinto, Octobris verò die tertio, anno ætatis ſuæ, (ſi k Dioni credendum) quinquageſimo quarto, vel ſeptimo, vt l Suetonius & Tacitus tradiderunt. Vir enormi proceritate, facie ex vinolentia plerumque rubicunda, ventre obeſo.

i *Lib. 13. de bello Iudaico.*
k *In Vitellio.*
l *Cap. 18.*

X. FLAVIVS VESPASIANVS.

LICET dudum ante *Vitellii* necem Alexandriæ die 3. Iulii à militibus acclamatus eſſet Imperator *Veſpaſianus*, ille tamen non citius eorum voluntati morem ſibi gerendum ſtatuit, quam æmulo prius è medio ſublato. Vnde nonnulla inter Scriptores orta eſt de tempore Imperij eius diſſenſio. Quãdo alij numerant à tempore necis *Vitellii*, m Suetonius verò ab eo tempore, prout iam dictum, quando videlicet quinto nonarum Iulij Alexandriæ militari acclamatione, inuitus ad imperii capeſſendas habenas protractus eſt. Hic eſt ille *Veſpaſianus*, qui tum per ſe tum per Titum filium Iudæa Romanis ſubacta, ac Hieroſolyma exciſa, celeberrimum de Iudæis triumphum egit: cui & Ioſephus ceu verus Vates Imperium prædixerat, licet præcipua huius victoriæ laus penes *Titum* hæſerit. Idem quoque *Veſpaſianus* Capitolium ſub Vitellio incenſum, ſumptuoſe reſtitui curauit, Vrbem incendio deformatam priſtinæ integritati reſtituit, templum pacis exſtruxit, Senatorium & equeſtrem Ordinem, ciuilibus bellis exhauſtum, ſuppleuit ac refecit. Lites ob tumultuoſa tempora pullulantes, mira ingenij dexteritate conſopiuit. In alijs omnibus Clemens & modeſtus vſque adeo fuit, nullius vt vnquam cæde lætatus ſit, ſed potius ſontium ſuppliciis illachrymatus. Rhetoribus æque ac Poëtis primum è fiſco annua adſignari ſalaria inſtituit, eaque quæ boni Imperatoris ſunt ita præſtitit, vti omnibus.

m *In Veſpas. ca. 8.*
Titus, Veſpaſiani filius, captam Hieroſolymam funditus euertit, 72. Triumphauit verò Romæ 73.

Dies.	Menses	Imperij	Annus Christi
		10	81 Die 24 Iunii.
			72 Die 8 Dec.

mnibus post obitum magnum nominis sui desiderium reliquerit. Obijt autem annum agens ætatis sexagesimum nonum, mensem vnum, & diem septimum, octauo Calend. Iulij, cùm imperasset annos decē minus sex diebus aut circiter. Vir fuit staturæ quadratę, membris benè compactis ac firmis, valetudinis prosperæ, quam abstinentia corporisque exercitatione fouebat. Vxorem habuit *Flauiam Domicillam*, Statilij Capellæ Equitis Romani filiam; ex qua tres procreauit liberos, Titum, Domitianum, & Domicillam. Qua defuncta, *Cenidem*, Antoniæ libertam adamare cœpit, habuitque penè iustæ vxoris loco.

XI. Titvs Vespasianvs.

PRÆFATVS ergo *Titus* natus est tertio Calend. Ianuar. quando prima die Februarij insequentis anni (hic autem fuit Christi 43.) interemptus est *Caligula* Imperator. Inerant puero plures animi dotes, quæ simul cum ætate succreuere, forma scilicet oris egregia, robur corporis eximium, animi clementia insignis, memoriæ tenacitas singularis, docilitas ad omnes ferè tum belli tum pacis artes stupenda. Scribere notis ita nouerat, vt omnes velocitate præcelleret, & quæcunque vidisset chirographa, imitaretur. Patre, quo cum Iudæam debellare cœpit, Imperatore iam designato, ipse solus istic est relictus, qui Hierosolymam arcta obsidione premeret, eamque qua ferro qua fame edomaret. Nec defuit eius conatibus euentus. Nam sexto iduum Septemb. Vrbem armata manu inuasit, resistentes interemit, ipsumque augustissimum celeberrimi nominis templum occupauit; & cùm suos retinere milites vociferando ab incendio non posset, inflammari vidit. Quibus tamen rebus tam magnifice gestis, nequaquam animo se extulit, neque victoria insolenter vsus est. Quippe, qui optimè nosset non humana virtute, sed iusta Dei vindicta, Iudæorum regionem & ciuitatem esse deletam. Eâ quoque humanitate præditus fuisse legitur, *n* vti etiam à sontium supplicio abhorruerit, eaque ex causa *Pontifex Maximus* creari voluerit, vt se à sanguinis effusione temperaret. De quo quidem hæc *o* Dio Cassius, *Titus*, inquit, *ex quo tempore Principatum solus obtinuit, nec cædes fecit, nec amoribus in seruiuit, sed comis, quāuis insidiis peteretur, & continens.* Vnde *Berenicen* Reginā, quam efflictim adamabat, domitis amori affectibus, in patriam relegauit.

Natus anno 43 penult. Decemb.

n Sueton. in Tito cap. 9.

o in Tito.

Neque

p Cap. 8. *Neque* hic porro tacendum, quod p Suetonius de eodem commemorat, cum scilicet adeo fuisse in omnes beneficum, vt non permitteret quempiam à se minus voti compotem tristemve discedere. Et aliquando, inquit, recordatus super cœnam quod nihil cuiquam toto die beneficii præstitisset, memorabilem illam meritoque laudatam vocem edidit: *Amici, Diem perdidi.* Atque ob hasce aliasque virtutes non solum aliquot consulatus cum patre gessit, verum etiam Imperii particeps vnà esse meruit, eius nomine & epistolas & edicta conscribens. Cumque ita omnibus esset charus, eumque vuulgo *humani generis delicias* nuncuparent, non potuit tamen fraternæ fraudis insidias euitare. Quippe, qui idibus Septembris summo dolore optimorum omnium, veneno per *Domitianum* fratrem (vt fama fuit) mortem oppetiit, annos natus quadraginta vnum, cum imperasset post patrem biennio, mensibus duobus, & diebus viginti.

Anno Christi	Imperij	Mens.	Dies.
83 die 13 Sept.	2	2	20

XII. FLAVIVS DOMITIANVS.

SVCCESSIT in locum eius *Domitianus*, eius frater germanus, homo vti natura sæuus, ita ingenio ferox & vafer, per omnia patri ac fratri dissimilis, imò Caligulæ ac Neroni similior: quem nec multis beneuolentiæ obsequiis Titus alioquin clementissimus demereri valuit. Qui nepti *Iulia* stuprum intulit, ac velut pro coniuge habuit, libidinosusque, vt ait q Dio, non tantum in mulieres, sed & in pueros exstitit. Acerbam quoque in Christianos persecutionem excitauit, & edictum contra Philosophos promulgauit, Vrbeque expulit, animaduertens insuper in ipsas virgines Vestales: è quarum uumero Corneliam Maximam absentē damnauit. Exemplo etiam Caligulæ *Deum* ac *Dominum* se vocitari iussit. Iudæos tributis grauauit, humanitatem omnem vsque adeo exuit, vt ob sæuitiam *Nero* dictus sit. Cumque ita truculentus ac inuisus cunctis esset, tandem opportune à Stephano quodam, Flauiæ Domitillæ nobilissimæ ac Christianissimæ fœminæ, quam in insulam relegari iusserat, Procuratore interemptus est. Ille enim simulans se de coniurationis indicio libellum illi offerre, è brachio quod ad collū appensum (fractā manū fingēs) dolose gestabat, exserens gladium, atq; percutiens, *Domitianū* strenue sese defendentē confodit atq; necauit. Cuius necē Apollonius Tyanæus

Anno Christi	Imperij	Mens.	Dies.
83			

q In Domitiano.
Persecutio II. sub Domitiā.
Sueton. ca. 17.

Annus Christi	Imperij	Mens.	Dies.
98 die 18 Sept.	15		5
9	8		

Tyanæus, insignis æui istius magus, absens cognouit. Quando Ephesi, vti r Philostratus prodidit, publicè orationem habens, & in medio eius cursu, ipsa eadem die & hora, qua Romæ violenter inuasus est, quasi attonitus nonnihil conticescens, *percute*, inquit, *tyrannum, percute*. Percussus est itaque atque occisus decimo quarto Calend. Octobris, ætatis suæ anno quadragesimo quinto, Imperii decimo quinto, & diebus quinque.

r In vita eius li. 8.

Cadauer eius loculo plebeiorum inclusum, à vespillonibus elatum est, atque à *Phille* nutrice in suburbano suo via Latina funeratum. Statuæ vero omnes tum aureæ tum argenteæ, in honorem viuentis constitutæ à ciuibus, in massam actutum conflatæ fuerunt. Arcus præterea in eiusdem vnius titulum & nomen substructi, euersi: nomen insuper ex saxo ita eradi iussum, nullam vt tam truculentæ pestis memoriã exstare apud posteros cuperent. De quo tamen legitur, quod statura fuerit procerus, vultu modesto ac quasi verecundo ruborisque pleno, oculis grandioribus, ac decenti corpore, maximè in iuuenta.

XII. Nerva Cocceivs.

SVBLATO iam *Domitiano Imperatore, Nerua Cocceius*, tam Senatus consensu quam militum capessiuit Imperium, tenuitque annum vnum, menses quatuor, & dies nouem. Cuius egregias laudes historici, qui res ipsius gestas scripserunt, mirificè prædicant. Nouo enim Principe, qui *Domitiani* respectu visus est optimus, cum Vrbs ipsa in primis, tum Orbis quoque Romanus, *Domitiani* tyrannide fatigatus, respirare paululum cœpit. Hic claris fuit ortus natalibus, oppido *Narniensi* genitus, & quartum supra sexagesimum ætatis annum agens, quando ad Imperium est euectus. Qui vbi liberas eius habenas moderari cœpit, nihil antiquius habuit, quam Christianos à *Domitiano* impietatis titulo condemnatos, atque in exilium relegatos, postliminio restituere: vetare insuper, ne quis vlterius, qui deos non coleret, Christianamque religionem sectaretur, ceu impietatis reus accusaretur. Beneficentiæ porro ac liberalitatis tantæ fuit, vt à *Domitiano* spoliatis ea redderet, quæcunque in aula & fisco reperta sunt summa fide. Ciuibus egenis vt vitam sustentarent, decies & quinquagies centena millia nummûm erogauit. Puellas puerosque tenuioribus

ribus ortos parentibus, ſumptu publico ſuſtentari per Italiam mandauit: ciuitates afflictas releuauit, nec ſibi aureas argenteaſque ſtatuas erigi paſſus eſt. Nihil vnquam de arbitrio ſuo ſtatuit, ſed potius viros ſapientia præſtantes in conſilium adhibuit, dignos potiſſimum ad honorum gradus promouens. *Vlpium* quoque *Traianum* in filium adoptauit, moxque in curia Cæſarem deſignauit: ad quem Imperij iura inſigniaque in Germaniam vſque tranſmiſit. Omnibus igitur in ordinem benè reductis ac conſtitutis, febre correptus, moritur ſexto Calend. Februarii, poſt ætatis annos ſexaginta quinque, menſes decem, & dies totidem, cum imperaſſet annum duntaxat vnum, menſes quatuor, ac dies nouem, vir probus, honeſtus, omnique laude dignus.

Annus Christi	Imperij	Menſ.	Dies.
100 *Die 27. Ianu.*	1	4	9
100			

XIII. Vlpius Traianus.

TRAIANVS, qui iam populo ante à *Nerua* imperij conſors in Germania apud Coloniam Agrippinam declaratus erat, Hiſpanus natione fuit, ex *Turdetana* prognatus prouincia; qui ſub Imperatoribus *Veſpaſiano* ac *Tito* egregiam in expeditione contra Iudæos operam nauauit, vir inſigni corporis robore præſtans, decimæ iſtic (vti ſ Ioſephus ait) legionis ductor. Qui anno Chriſti centeſimo Romam ex Germania veniens, apud populum modeſtus, apud Senatum venerandus, omnibus denique percharus eſt habitus, moleſtus nulli niſi hoſtibus; in quos ſeuerus erat, ſicut & in amicos beneficus. Iræ ita moderabatur, vt nunquam ſe ab ea ſuperari ſineret. Et cũ duo ſint, quæ ab egregijs Principibus expetantur, domi vitæ continentia, foris in bello fortitudo, vtrobique prudentia, tantus & hic & illic erat, vt in eo maximarum rerum modus, quaſi quodam virtutis temperamento emicuiſſe videretur. Bellum in *Dacos* grauiſſimum ſuſcepit, quos ingenti clade affecit, ipſumque eorum regem *Decebalum* ſemel iterumque proſtrauit. Quin & Armenos Parthoſque Romano imperio ſubiugauit, non parcens interim Chriſtianis; quippe qui Gentiles in eos ſponte deſæuire permiſit, ſub quo etiam varij Chriſtianæ fidei profeſſores martyrio occubuere. Fuit porro etiam vino plus quàm oportuit deditus, & pæderaſtiæ vitio infamis, adeo vt fabuloſum merito videri debeat animam illius, vtpote hominis Gentilis ac nefandæ libidinis probro infamis, B. Gregorij precibus ex inferno (è quo nulla penitus redemptio) liberatam eſſe.

ſ Lib. 3. de bello Iudaic. ca. 11. 16.

Annum erat agens quadrageſimum ſecundum cum Imperium ſuſciperet

Perſecutio III. ſub Traiano.

Annus Christi	Imperij	Mens.	Dies.
119	19	6	15

Caterum ille cùm aduersus *Agarenos* bellum capesseret, & conatus pro voto non succederent, re infecta digressus, ac non ita longè pòst, aduersa valetudine correptus, apoplecticus primum, dein' vero aqua intercute repletus, apud *Selenuntem* Ciliciæ vrbem, quæ & *Traianopolis* pòst dicta, repentè contabuit anno ætatis sexagesimo primo, cùm imperasset annos vndeviginti, menses sex, & dies quindecim. Exusti autem corporis cineres Romam perlati, vrna aurea ad basim columnæ suæ reconditi sunt.

XIV. P. ÆLIVS HADRIANVS.

119 die 11 Aug.

HADRIANVS antiquum familiæ genus ex *Hadriâ* Picentum ciuitate, ac recentius ex Italica Hispaniæ vrbe ducens, natus est Romæ Ælio Hadriano, Traiani consobrino, parente, Coss. Vespasiano septies, & Tito quinquies, anno nimirum Christi septuagesimo octauo. Qui anno centesimo nono decimo Legatum agens in Syria, quinto idus Augusti adoptionis tabulas à *Traiano* in extremis posito accipiens, eo defuncto tertio idus eiusdem, nunciato sibi eius obitu, Imperium capessiuit. Qui Romam cum peruenisset, nihil antiquius habuit, quàm exemplo *Traiani* de Republica ciuibusque quã optimè mereri; quibus viginti duas auri myriadas dimisisse legitur, syngraphis in foro Romano publicè exustis. Dedit etiam operam, vti pacem quaqua per Orbem versum componeret. Vnde omnia trans Eufratem ac Tygrim reliquit, deficientibus nationibus quas *Traianus* subegerat. Vnde, hinc Mauri lacessebant, isthinc Sarmatæ bellum inferebant, Britanni teneri non poterant, Ægyptus seditionibus conflictabatur, Lycia & Palæstina rebellabant; ille vero ad singulas quasque prouincias missis Præsidibus, singula pacauit. *Traiano* diuino pro Gentilium more honores à Senatu impetrauit, eiusque imaginem curru triumphali ductauit, publica spectacula, quæ *Parthica* dicta fuêre, celebrauit, sine ornatu regio Imperatoriaque pompa Vrbem aliquoties peragrauit, Reges diuersos ad amicitiam suam inuitauit, professores disciplinarum omnium locupletauit, Vno eodemque tempore scripsit, dictauit, audiuit, & cum amicis confabulatus est. Cùm autem totius penè Orbis situm, nudo planè capite etiam densa in frigore, peragrasset, in morbum lethalem incidit; de quo tamen hunc in modum † Dio Cassius. *Hadrianus Imperator agens ætatis annos* † In Hadriano.
sexa-

sexaginta duos, menses quinque, & dies sex, imperii verò annos viginti & menses vndecim, cùm mortem voluntariam diutius exoptatam sibi adsciscere non daretur; tandem consilio medicorum cibo & potu abstinens finem viuendi fecit. Mortuus est autem apud *Baras* sexto idus Iulij, sepultusque ad tempus *Puteolis* in villa Ciceroniana. Inde verò translatum est corpus eius Romam, locatumq; in mole, quam ab eodem denominatam trans pontem construxit postea *Antoninus* Imperator. Vir fuit statura procerus, forma comptus, inflexo ad pectinem capillo, promissa barba, vt vulnera quæ in facie erant naturalia, occuleret.

XV. ANTONINVS PIVS.

HADRIANO eum in modum extincto, *Antoninus* cognomento *Pius*, quem ille adoptauerat, Romanum moderãdum Imperium suscepit; qui paternnm genus è Gallia Transalpina *Nemauso* ciuitate ducebat, patre Tito Aurelio Fuluio viro consulari, & matre *Fatidilla* genitus. Cuius cognationem *v* Iulius Capitolinus describit. Hic imperare cœpit annos natus quinquaginta tres. Quæstor fuit antea liberalis, Prætor splendidus, cõsul magnificus, erga omnes humanus. Factus autẽ Imperator, per Legatos suos plurima bella gessit; Britãnos, Mauros, Dacos, Germanos, Iudæos & Alanos refrenauit, in Achaia & Ægypto rebelliones pacauit, & orbem ferè in pace gubernauit; illud Scipionis identidem vsurpans, *Malle se vnum ciuem seruare, quam mille hostes enecare.* Procuratores suos modestè tributa exigere iussit, modum excedentes corripuit, condemnatis indulgentiam obtinuit; tanta denique prouidentia subiectum sibi populum rexit, vt omnes propemodũ prouinciæ sub eo florerent. Omnium quæ gessit, & in Senatu & per edicta rationem reddidit.

v In Ipsius vita.

Persecutio IV. sub Antonino.

Mortuus est autem apud *Lorium* villam, annos natus septuaginta quinque, cùm regnasset annos viginti quatuor, vti ex Dione Xiphilinus tradit: ex quibus eum viginti duos duntaxat implesse patet, duos autem non nisi inchoasse, sepultusque est in mole Hadriani.

XVI. M. AVRELIVS ANTONINVS, & L. Ælius Verus.

EO defũcto, *M. Aurelius Antoninus*, vulgo *Philolosophus*, & *L. Ælius Verus*, quos idẽ *Pius* viuente & iubente *Hadriano* adoptauerat, in Imperiũ mox succedunt. Quorũ Imperatorum

Annus Christi	Annus imperij	Mens.	Dies.
140 die 10 Iulii	20	11	
140 die 10 Iulii.			
163 die 7 Mar	22	7	6
163			

Annus Christi | Imperij | Mens. | Dies.

& cognominum ne vlla posset apud posteros oriri confusio,
proprio tantum nomine ab inuicem discriminantur, vt alter
Marcus, alter *Lucius* nominetur. Porro cùm ex Senatuscon-
sulto, non nisi *Marcus* declaratus esset Imperator, idem *Lu-
cium* sibi collegam adsciuit, tuncque primum duo simul re-
gnare visi sunt Imperatores. Qui & *Diui fratres* appellati sunt,
171 eò quod ambo fuissent ab *Antonino Pio* adoptati. Cæterum
cum vterque ad Marcomannicam expeditionem, iam diu an-
te præparatam, Roma exeũtes Alpes transcendisset, *Lucius* se- *Lucius*
dens cum fratre in vehiculo, apoplexia arreptus perijt. Cuius *imperator*
corpus Romam aduectum est, atque ipse inter diuos à Senatu *perit* 171.
relatus, fratre funus comitante, atque omnia, bello intermis- *cum im-*
so, procurante. *perasset*
Marcus verò iam solus rerum potitus, *Claudio* Pompe- *ann.* 11.
175 iano consuli, post obitum Lucij fratris, ad bellum profectu-
rus, *Lucillam* filiam suam vxorem dedit; quem postea bis con-
sulem fecit, ac bello Marcomannico præfecit. Vbi ipse & Im-
perator, ob vehementiorem aquæ defectum siti prope-
modum pereuntes, Christianorum militum quos in exercitu
habebant, precibus, tam largam cœlitus pluuiam promeruêre,
vti miraculi loco res habita sit, ipseque Imperator Romam id
ipsum agnoscens, ad Senatum perscripserit, quemadmodum
accuratè apud *x* Baronium est videre. Post hanc autem victo- *x Tom.* 2.
riam *Auidius Caßius* (quo olim duce *Lucius Verus Parthos* vi- *ad ann.*
cerat) falso nuntio de *Marci* morte accepta, inuadens in Ori- 176. *n.* 19.
177 ente Imperium, cui à multo tempore inhiabat, post tres men- *& seq.*
ses à Centurione vulneratus, & à Decurione necatus est. An- *Auidius*
no autem insequente vix inito, *Marcus* Imperator *Faustinam* *inuadens*
178 vxorem suam extulit, quam & *Diuam* appellari à Senatu pe- *imperiũ*
tijt, ipsumque suum filium *Commodum* in collegam & Impe- *occiditur.*
rij consortem assumpsit. Cum autem in expeditione Marco-
182 mannica ageret *Sirmii* in Pannonia, morbo affectus abstinen-
die 17 Mar | 19 tia cibi mortem voluntariam oppetijt XVI. Calend. Aprilis,
postquam imperasset annos decem & nouem continuos, vt
habet *y* Eusebius: vixisse vero annos propemodum quinqua-
ginta nouem, ex Iulio Capitolino colligi potest, vtpote quan- *y Lib.* 5.
do natus est anno Christi 123. Cuius & statua apud Basilicam *hist. ca.* 5.
Lateranensem, vbi natus & educatus creditur, pacificatoris
Equestris etiamnum hodiè cernitur.

XVII. COMMODVS.

Annus Christi	Imperii	Mensis	Dies
182 die 18 Mar.			
94 die 31 Dec.	12	9	14

DIe ſequenti ab obitu *Marci Commodus*, qui cum patre in caſtris agebat, hæreditarium imperium adijt, annos tunc natus decem & nouem, minus menſibus tribus & diebus tredecim, patrẽ habens *M. Antoninũ* Philoſophũ, matrẽ *Fauſtinã*. Qui etſi ſub initiũ Imperij nihil non honoris paternis amicis exhibebat, & aliquid inſuper bonæ indolis præ ſe ferre videretur, poſtea tamen in imum flagitiorum pelagus prolapſus, factus eſt omnium crudeliſſimus atque turpiſſimus: prorſus vt omnes qui ex vitijs ante eum inſignis infamiæ nomine notati fuêre, *Domitianus* videlicet, *Caius* & *Nero*, facilè antecelleret. Cuius nefanda flagitia hic commemorare neceſſe non eſt, quando ea ſufficienter à *Dione*, Lampridio, & Herodiano, perſcripta ſunt, & nihil præclari quod commemoratione aut imitatione dignum ſit, geſſerit. Qui cum ſtatuiſſet viros aliquot conſulares ac ſenatores vi è medio tollere, ipſamque in primis *Martiam*, vnã ex concubinis ſuis, quam propè vxoris loco habebat, & ſummoperè adamabat, nec non & *Lætum*, Prætorio Præfectum, ac *Electum* cuſtodem cubiculi, re compertâ, eorundem conſpiratione à *Narciſſo* athleta oppreſſis faucibus, pridiè Calend. Ianuarii ſtrangulatus eſt, ſicque cum fine anni, vitam finiuit & ipſe, cùm regnaſſet annos duodecim, menſes nouem, & dies quatuordecim. Vixit autem annos triginta vnum & menſes quatuor, in quo domus *Aureliarum* Principatum amiſit: cui alloqui præter ætatis florem, congruens corporis ſymmetria ſuffragabatur, pulchra viriliſque facies, oculi micantes, criſpa flauaque cæſaries, vt in Sole deambulanti, velut igne quodam rutilaret.

XVIII. P. ÆLIVS PERTINAX.

Annus Christi	Imperii	Mensis	Dies
19			

SVBLATO *Commodo*, *Ælius Pertinax* Italus natione, patre ignobili ex ciuitate *Alba Pompeia*, olim ex ſtudio literarum à Claudio Pompeiano, genero Marci Imperatoris im militiæ Tribunatum euectus, & bis conſulatu perfunctus, ex præfecto Prætorio, militibus Prætorianis adiuuantibus, Senatu libentiſſimè conſentiente, Imperator deſignatus eſt. Qui cùm perditiſſimum reipublicæ ſtatum quamprimum in priſtinum reſtituere feſtinaret, militibus in eum inſurgentibus, interemptus

Anno Christi | Imperij | Mensis | Dies.

ptus est, cum imperasset diebus octoginta duobus, vxisset verò annos sexaginta septem, mensibus quatuor, tribus diebus exceptis; bonis omnibus, quòd vir haberetur optimus,
195 sui desiderio relicto. Fuit statura Imperatore digna, cum habitudine corporis pinguiore, magis blandus, quam benignus, nec vnquam credi rus stupidus.

XIX. Didius Iulianus.

CVm vero Imperium in manu esse videretur Prætorianorum militum, *Didius Iulianus* militiæ domique spectatus, homo benè disertus, auctione venale Imperium sibi emit, pollicitus dare singulis militibus aureos ducentos & quinquaginta: sicque ab illis in Imperium subrogatus, à Senatu perterrito tandem confirmatus est, tenuitque, reclamante populo, dies sexaginta sex. Fuit autem patria Mediolanensis, filius *Petronii Didii* Seueri, & *Claræ Æmiliæ*. Qui adeptus Imperium, delicijs ac crapulæ totum se tradidit, neglecto Senatu, milites pecuniâ adpromissâ defraudans. Cùm interim, qui tribus Romanis exercitibus præerant duces, *Pescenninus* Niger in Syria, *Albinus* in Britannia, & *Seuerus* in Pannonia, à *Didio* deficientes, Imperium arripuerunt, illo penitus amoto, & à gregario quodam milite fœdas inter comploratione obtrun-
195 66 cato. Cuius corpus ab vxore *Mallia Scantilla* sepulturæ traditum est. Vixit annis quinquaginta sex, mensibus tribus.

(Margin, beside "rum militum": 195)

XX. Septimivs Severvs.

195 die 13 Apr. APPELLATVS est ab exercitu *Septimius Seuerus* Imperator apud *Carnutum* Idibus Aprilis. Qui Romam veniens, & à Senatu confirmatus, imperium arripuit prima die Iunij, natus ex patre *M. Geta* equite Romano, & *Fuluia* Pia, in Lepti Africæ ciuitate, literis tum Græcis tum Latinis apprimè eruditus, militiæque peritissimus. Qui annos natus quadraginta septem, imperij sui exordio, nullum quidem Christianis negorium religionis causa facessiuit, sed postea tamen seuerè in eos animaduerti iussit. *Persecutio V. sub Seuero.* Ad Orientis statum confirmandum iter arripiens, contraque *Pescenninum* Antiochiæ tunc degentem exercitum ducens, cum prælio superauit & interfecit, Parthos etiam deuicit, peragrata Arabia & Armenia, sicque Vrbem Triumphator ingressus est. Orta autem seditione in Britannia, ad eam sedandam vtroque cum filio profectus est,

licet

Annus Christi	Imperij	Mens.	Dies.
213 die 4 Febr.	17	8	3

licet iam decrepitus & morbo articulari detentus: vbi etiam Eboraci nonis Februarij, non tam corporis morbo, quam animi mœrore diem clausit extremum, cum imperasset annos decem & septem, menses octo, & dies tres, vixissetque annos sexaginta quinq; menses nouẽ & dies quindecim. Vir corpore decorus, promissa barba, cano capite & crispo, vultu venerandus, bellicosus, beneficus, literatus, translatus Romam & auito *Antonianorum* sepulchro illatus.

XXI. ANTONINVS CARACALLA *& Geta Frater.*

ANTONINVS & *Geta* filij *Seueri*, ex Britannia cum paterni corporis exuuijs Romam venientes, simul Imperium capessiuêre. *a* Quorũ *Geta* natus dum esset, nuntiatum est Gallinam in aula ouum peperisse purpureum. Quod audiens *Antoninus* frater & quasi applausum paruulus ad terram comminuens, mater eorũ Iulia dixisse fertur, *Maledicte parricida, fratrem tuum occidisti.* Nec res euentu caruit; odio etenim Vatiniano disiuncti, Imperium quoque disiunxerunt; ita vt Europa cum partibus meridionalibus *Antonino* (qui & *Caracalla* ob peculiare vestimenti genus dictus est) cederet, Asia verò & quidquid in Orientem vergit, *Geta.* 213

a Ælius Spartian.

Cæterum, cùm odium istud in dies glisceret, & *Antoninus* magis magisque fratri infensus fieret, eò quòd maior meliorque pars eum sectabatur, quòd probus, moderatus & mansuetus honestiora studia adamaret ac tractaret, paratæque veneno insidiæ effectum non consequerentur, tandem irrumpens in fratris cubiculum, *Getam* nihil minus cogitantem, supra matris pectus multo sanguine inundantem obtruncauit, annos habentem tunc duos & viginti, ac menses nouem. Qui maiorum sepulchro illatus est via Appia, euntibus ad portam dextro, specie *Septizonii* exstructo, quod sibi viuus ille adornauerat.

Geta necatur 214. die 25. Mart.

22. *Antoninus* verò solus imperitans, omnes qui fratri studuerant interemit, nec illis parcens qui vel leuissimè hominem coluissent. Quos inter censetur *Papinianus*, Iurisconsultorum huius temporis facile Princeps, Prætorio præfectus. Parthos autẽ dolo potius quàm armis subegit. De cuius breui imminẽte morte multa cũ essent præsagia, ipse, vt *b* Diò scribit, inuocatis dæmonisj, malũ nequicquã auerruncare studuit. Nã 217

Antoninus Caracall. solus imperat.

b In vita Caracal.

in Me-

Annus Christi	Imperii	Mensi.	Dies.
219 die 8 Apr.	6	2	5

in Meſopotamia Edeſſā inter & Carras, *Macrini* opera à Martiali centurione pugione confoſſus, occubuit ſexto Idus Aprilis, cum imperaſſet annos ſex, menſes duos, dies quinque, ætatis annum agens vndetrigeſimum. Opera Romæ reliquit thermas nominis ſui eximias, & viam inſuper nouam muniuit, quæ eſt ſub eius thermis, qua pulchrius inter Romanas plateas, non facile quicquam inuenias.

XXIII. Opilivs Macrinvs.

Annus Christi	Imperii	Mensi.	Dies.
219 die 13 Apr.			

POst diem vero ab eius nece quartum, idem *Macrinus* natione Maurus ex ciuitate Cæſarea, Præfectura Prætorii in primis nobilis, ſed ignobili loco natus, & vt c Capitolinus vocat, *Homo vitiorum omnium* (de cuius etiam in delinquentes ſæuitia magis quam ſeueritate, horrenda quædam ſcribit) conciliatis ſibi magnis promiſſionibus militibus, Imperium arripuit, filio *Diadumeno*, aut vt veteres nummi, *Diadumeniano*; nouem annorum puero, ſibi in collegam allecto. De cuius equidem *Macrini* horrenda ſæuitia nonnulla ſcribens *Iulius Capitolinus*, ait, præter militum cruces aliaſque ſeruiles pœnas in eoſdem ab eo irrogari ſolitas, in duos aduertiſſe milites; eoſq; quia cum hoſpitis ancilla carnale commercium habuiſſent, duobus apertis bobus claudi exertis capitibus atque inſui iuſsiſſe; Tribunum inſuper, qui excubias deſeri paſſus eſſet, carpento rotali ſuperadnexum, per totum iter viuum atque exanimem traxiſſe, aliaque dictu horrenda perpetraſſe. Vnde ob hoc aliaque id genus plura, à rebellantibus militibus tam ipſe quàm filius octauo Idus Iunij interempti ſunt, cum imperaſſent annum duntaxat vnum, menſem vnum, & dies viginti octo.

c *In Macrino.*

Annus Christi	Imperii	Mensi.	Dies.
220 die 6. Junii	1	1	28

XXIV. M. Avrelivs Antoninvs *Heliogabulus.*

Annus Christi	Imperii	Mensi.	Dies.
220			

SVblatis è medio *Macrino* eiuſque filio Auguſtis, ab eodem exercitu mox ſubuectus eſt in Imperium *M Aurelius Antoninus*, cognomento *Heliogabulus*, quod vel Iouis vel Solis ſacerdos videri vellet, natus *Antonino Caracalla*, vt creditur, ex *Soëmiade* Meſæ ſororis Iuliæ Auguſtæ filia, quam alij *Semiamiram* vocant, Mammeæ filiam. Qui à primis cunabulis in ſummo fuit luxu enutritus. Cuius vita tam enormiter turpis exſti-

Annus Christi	Imperij.	Mensi.	Dies.
223.			
224	3.	9	14.
224. die 6. Mar.			

exstitit, vt eum literarum monimentis ad posteros transmittere, pudor sit. Cùm enim Palladium auferret, Vestales incestaret, sacra prophanaret, insontes enecaret, eamque ob causam omnibus se inuisum redderet, tum eò magis militum in eum odium exardescere cœpit, quòd *Alexandrum* Mameæ filium, consobrinum suum, quem in Cæsarem secum cooptauerat, amouisset, illiusque statuas luto conspurcandas, imò occidendum illum demandasset. A quibus idcirco vnà cum matre æquè impurissima interfectus est, ac corpus eius in viam proiectum, tractumque demum in Tiberim mersum est; ex quo ipse *Tractitius* & *Tiberinus* meruit appellari. Imperauit annos tres, menses nouem & dies quatuordecim, annos natus decē & octo. Nomen eius iubente Senatu erasum est, & cadauer pondere annexo ita in profluentem demersum vt fluctuare nequiret.

XXV. Alexander Severus I.

Miro autem militum consensu, imò & Senatus, totiusque populi Romani, pridiè Nonarum Martij, acclamatus est Imperator *Alexander Seuerus*, annum agens ætatis sextum decimum, genitus ex *Vario* & *Iulia Mamea* in vrbe *Artena*, quæ optimos illi præceptores adhibuit, qui eum & morum honestate & diuersarum artium cognitione ita instruxēre, vt tam summis quàm infimis percharus esset. à militibus porro *Seueri* nomen, eò quod illorum petulantiam atque insolentiam refrenaret, ei inditum est. Infames ab *Heliogabulo* in officiis collocatos, ministerio aulico atque munere priuauit, palatium expulsis obscænis & impudicis expurgauit, annonæ curam magnam gessit, in tractandis negotijs doctos dūtaxat ac prudentes adhibuit, Christianos studiose fouit; vtpote cuius mater *Mamea* ab Origene *Adamantio* in fide Christiana erudita fuit. Ad aurum colligendum attentus fuit, ad seruandum cautus, ad inueniendum sollicitus, citra vllius detrimentum. Bonarum literarum professoribus annua salaria constituit, pauperum filias liberaliter aluit, in ambitiosos grauiter animaduertit, opera pulchra multa instituit, thermas nominis sui, quæ Neronianæ fuerant, inducta aqua quæ nunc *Alexandrina* dicitur, construxit, *Colossaeum* collapsum instaurauit, expeditionem aduersus regem Parthorum, qui totum sibi orbem vendicare moliebatur, ita adornauit, vt non tam milites quàm Senatores ad illam se conferre viderentur. Æqui

Annus Christi | Imperij | Mens. | Dies.

iustiq; amantissimus fuit, nunquam non Christianam hanc
sententiam in ore habens, *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.*
Persarum regem bello superauit, eorumque præda milites di-
tauit. Ad bellũ Germanicum cũ exercitu profectus, *Moguntiam*
237 die 18 Mar | 13 | | 9 — *am* vnà cum matre venit, ibidemque *Maximino* duce quin-
to decimo Calend. Aprilis, trucidatus est, cùm imperasset an-
nos tredecim, & dies nouem, vixissetque annos viginti no-
uem, menses tres, & dies septem. De cuius nece Senatus po-
pulusque Romanus plurimum contristatus fuit, atque in eius
honorem cenotaphium istic in Gallia (Moguntinenses enim
tunc Galli censebantur non minus quam Treuirens. ac Colo-
niens.) Romæ verò sepulchrum amplissimum constituerunt.

26. IVLIVS MAXIMINVS.

INTERFECTO *Alexandro, Iulius Maximinus* è Thracia ori-
undus, humili planè loco natus barbarisque parentibus,
237 patre nimirum *Gotho*, & matre *Alana*, qui & ipse pastor olim
fuerat, & Tironum tribunus, primus è corpore militari &
nondum Senator, Augustus ab exercitu appellari cœpit, filio
Maximino in imperium adscito. Hic corporis magnitudi-
ne, ac roboris fortitudine cumprimis admirandus, à nonnul-
lis *Achilles*, ab alijs *Hercules* nuncupabatur, multaque in re bel-
lica præstitit admiranda. Imperator iam designatus, milites
non virtute, sed præmijs & lucris sibi deuinciuit, ac solis Le-
gionibus venationes exercuit; in omnes, ac præsertim nobi-
les, vsqueadeo crudelis, vt crudelius in terris animal esse non
diceretur. Alios enim in crucem egit, alios animalibus inclu-
sos necauit, quosdam feris obiecit, nonnullos fustibus elisit,
aliove inaudito mortis genere è medio sustulit, ac contra
Christianos acerbam admodum persecutionem excitauit. In *Persecutio VI. sub Maximino.*
Germaniam omni cum exercitu proficiscens, ferro flamma-
que eam depopulatus est. Inde Sarmatis quoque bellum in-
ferre parauit, cupiens vsque ad Oceanum Septentrionales
partes Romanæ ditioni subijcere. Sed cum comperisset se cum
filio à Senatu hostes iudicatos esse, & *Maximum* cum exerci-
tu contra se missum, vehementius sæuiens, Italiam ingressus
est, atque inde *Aquileiam* contendit, eamque obsidione cinxit.
Verum fame laborans, ducesque aliquot interficiens, in odi-
um exercitus venit; à quo vnà cum filio quiescens in tentorio
240 | 3 — suo trucidatus est, postquã annos tres integros imperitassent.

Quorum

Annus Christi | Imperij | Mensis | Dies.

Quorum capita hastis subfixa & Aquileiensibus ostensa, Romam missa sunt,& in campo Martio insultante populo exusta, cadauera verò in profluentem coniecta.

27. GORDIANVS.

ETSI *Maximino* adhuc viuente, Senatus *Maximum Pupienum*, & *Clodium Balbinum* ad imperij capessendas habenas designassent , milites tamen id ægrè ferentes , vtrumque post anni vnius atque octo mensium decursum, Agonalibus ludis Capitolinis interfecerunt, sic. Quemadmodum etiam duo *Gordiani*, pater scilicet & filius, quos Senatus in Africa constitutos , Imperatores acclamauerat , insequente eos *Capelliano* ibidem interfecti sunt.
Quibus interemptis,successit *Gordianus* iunior, nepos scilicet 240
senioris , annum ætatis agens sextum decimum , vel tantum (vt alij scripserunt) decimum tertium. Qui fuit natus, prout plures adserunt, ex filia Gordiani, vel ex Gordiano quem in Africa interemptum diximus, à militibus adamatus,& in tantum à Senatu dilectus, vt & hi & isti tum *populi sui delicias*,tum *patrem* appellare soliti sint. Sed indicium non diu imperaturi *Gordiani* mox subsecutum est. Nam vsque adeo vehemens solis obscuratio clara die facta est, vt noctem dixisses,neque sine luminibus quidquã agi potuerit,accedente insuper vehementi terræ motu,quo ciuitates aliquot cum incolis simul interiere. Ac subito in Africa contra *Gordianum* conspiratio facta est,l-
bitoque quieuit. Bello autem Persico imminente , antequam 243
se itineri daret, vxorem duxit *Tranquillinam*, Misithei doctissimi disertissimique viri filiam, eumque Prætorij Præfectum fecit, vt optimis soceri consilijs in dies instructus , prudentior euaderet. Deuictis iam Persis,& Sapore eorum Rege submoto, Antiochiam perrexit, ibique etiam rei fecit satis, adeo vt tam ipsi quàm socero triumphus à Senatu decerneretur. Sed ista fœlicitas diuturna esse non potuit; nam *Julius Philippus* Arabs vtrique insidias struens cùm Imperio inhiaret,non solum medici opera *Misitheum* clanculum occidit, sed & ipsum quoque *Gordianum*, à quo in soceri locum cooptatus erat,per
milites mense Martio interfici curauit,postquam regnasset an- 246 | 6
nis sex inchoatis, ætatis verò vigesimo secundo, ægrè admo- *in*
dum id ferente Senatu,à quo Romæ in diuorum numerum est *Mar.*
relatus. Omnes autem qui eum gladio appetierunt, nouem numero, postea interemptis *Philippis*,sua manu suisque gladijs & ijsdem quibus illum percusserant, interierunt.

Annus Christ	Imperij	Mens.	Dies.
246			
253	7		
253			
254 *mense Apr.*	2		

XXVIII. M. Ivlivs Philippvs.

Hic idem ille eſt, qui *Gordiano* eiuſque ſocero mortis cauſa exiſtens, cum paulo ante eſſet in Imperij collegam aſſumptus, ſolus iam Imperij habenas arripere cœpit; Senatui perſuadens, à militibus ſe legitimè electum. Fuit autem natione Arabs, vrbe *Roſtris* Arabiæ, ex ignobili genere prognatus, patre inſigni latronum ductore. Cæterum quia bellicoſus erat, ideo *Gordiano* charus fuit, & à Senatu, cui fucum fecerat, *Auguſtus* acclamatus. Qui facta pace, percuſſoque cum Perſis fœdere, Meſopotamia & Aſſyria hoſtibus relicta, paſſus victricium armorum dedecus, in natali agro vrbem ſui nominis *Philippopolim* condidit, Philippumque filium in itinere conſortem Imperij fecit. Quorum vtrumque Chriſtianâ poſtmodum religione initiatum eſſe, ex actis Pontij martyris manifeſtè liquet. Quin & nonnulla præclara ſtatuiſſe ſenior *Philippus* legitur, quibus inuaſi imperij labem abolere niſus eſt: quæ, tamen Scriptores ethnici, Chriſtianæ fidei cultoribus minimè fauentes, ſilentio præterierunt. Cæterum cùm *Decius* vir militaris à militibus Illyricanis Imperator acclamatus eſſet, occiſi ſunt *Philippi* pater & filius; ille Veronæ, hic Romæ.

XXIX. Decivs Traianvs.

Invasit & hic Imperium, natus è *Bubali*, inferioris Panoniæ vrbe parentibus clariſſimis; qui mox *Decium* filium ſuum Cæſarem dicens, & Patribus Rempublicam commendans, confeſtim cum illo ad liberandam Thraciæ prouinciam profectus eſt. Nam Scythæ & naualibus & terreſtribus copijs quaquauerſum omnia infeſtabant. Porro à *Treboniano Gallo*, exercitus ſui duce barbaris proditus, ab ijs vnà cum filio circumuentus interemptusque eſt. Senior equo ſedens, ne viuus in hoſtium manus deueniret, inter denſas hoſtium turbas elapſus, in paludis voraginem inſilijt: nec cadauer eius diligenter quæſitum, reperiri vnquam potuit. At filius primo in conflictu perijt. Vixit pater annos admodum quinquaginta, & regnauit cum filio biennio nondum finito.

Perſecutio VII. ſub Decio quam cõtinuarunt Gallus & Voluſianus.

Annus Christi	Imperii	Mensi	Dies

30. CAIVS VIBIVS TREBONIANVS.

EXTINCTIS autem *Deciis*, idem qui supra *Trebonianus* Gal- 354
lus Imperium inuasit, filiumque Volusianum postea col-
legam sibi adsciscens, *Augustum* creauit. Quorum tamen Im-
perium, Deo sanguinem Sanctorum suorum vlciscente, bien-
nium vix excessit, vterque enim à militibus suis desertus, ho- 254 6 4
stium barbarorum gladijs apud *Interamnam* interemptus est.

31. AVRELIVS, LICINIVS, VALERIANVS.

IVlius quidem *Æmilianus*, è Mauritania oriundus, & Dux 256
legionum in Mæsia, cum Barbaros strenuè repulisset, salu-
tatus est à suis velut Imperator, sed quarto mox mense ab ijs-
dem occisus est. Vnde *Aurelius Valerianus* Imperator designa-
tus est; qui permittente Senatu Licinium Gallienum Augu-
stum creauit, & *Valerianum* filium natu minorem Cæsarem
designauit. Cùm autem anno Imperij sui sexto, ab obitu Galli
numerando, aduersus Persas exercitum ductaret, proditio- 262
ne cuiusdam Ducis sui, à Sapore Persarum rege captus, misera
ac perpetua seruitute in Perside cõsenuit. Quoad enim vixit,
rex *Sapor*, eo incuruato, pedem ceruicibus eius imponens, e-
quum conscendere solitus erat, pro scabello eo vsus. Quem
tandem crudelissima morte, à ceruicibus ad imos vsque pedes
cutem detrahendo, enecauit. Vltione hac profectò dignus,
qui Christianam religionem toties pedibus conculcauerat,
totque beatissimos Martyres capitibus spoliari iusserat.

Persecutio VIII. sub Aureliano.

Licinius vero *Gallienus*, Valeriani Imperatoris filius, & Va-
leriani iunioris frater, post captũ patrem flagitiosè viuens, cùm
cõtra *Aureolum*, Illyrici exercitus ducem profectus esset, eum-
que apud pontem, qui ex eius nomine *Aureolus* appellatur,
obtentum detrusumque, Mediolanum obsedisset, eiusdem
Aureoli commento, à suis cum fratre Valeriano interfectus
est anno ætatis quinquagesimo, cum regnasset annos quinde- 15
cim, cum patre quidem septem, solus vero octo.

Annotatio. *Fuêre his temporibus diuersis in locis diuersi Tyran-
ni, qui Imperium arripuêre, ac breui temporis spatio occupauêre:
quando insurrexit Aureolus contra Gallienum, apud Illyricos;
Æmylianus Alexander in Ægypto, Solomus Gallienus iunior, duo*

Anno Christi	Imperij	Mensis	Dies
265			
266			
269 Die 24 Mar			
270.			
271	3		

Macriani filii, Caßius Labienus Posthumius, aliique. Quorum vel confusum Imperii tempus, vel exiguum imperandi spatium, ordinariam Imperatorum seriem apud Scriptores mereri non videtur.

Cæterum Gallieno adhuc viuente, & res ridiculas luxuriosasque agente, *Odenatus* Palmirenus Decurio, congregata ingenti militum copia, agrestiumque manu, dum rem Romanam strenuè tutatur, totius Orientis Imperium obtinuit, fortibusque factis tantæ maiestatis infulis dignum se declarauit, Persis eorumque Regem Saporem cum liberis in fugam vertens, superauit. Quemadmodum *e* Trebellius latius persecutus est. Qui deinde composito Orientis statu, à consobrino suo Mæonio, qui & ipse Imperium arripuerat, simul cum filio Herode trucidatus est. *e In Gallieno.*

32. FLAVIVS CLAVDIVS.

GALLIENO igitur vnà cum fratre & filijs apud Mediolanum sublatis, electus est à militibus, & à Senatu magnis acclamationibus approbatus *Flauius Claudius.* Cuius laudes liberius prosequutus *f* Trebellius, in gratiam Constantij Cæsaris, parentis Constantini Magni, volumen scribens, quo profitetur ipsum Constantinum ex *Claudii* stemmate esse progenitum. Ipsius verò *Claudii* genus idem author ex Dalmatis deducit; licet ab *Ilio* originem traxisse alii adfirment. Hic varijs afflictum cladibus, ac barbarorum infestationibus Romanum pressum Imperium reperit; quando interim etiam ipse non desijt persequi atrociter Christianos circa annum Domini ducentesimum septuagesimum Sed *Claudius* tandem confecto fœliciter formidoloso aduersus Gothos aliosque barbaros bello, lue comprehensus occubuit, incœpto iam tertio Imperij sui anno, nulla de se relicta sobole. Vir proceræ staturæ, oculis ardentibus, lato vultu, digitis vsque adeo robustis, vt ijs in pugnum compressis, equis & mulis dentes nonnunquam excussisse legatur. *f In Claudio.* *Persecutio IX. sub Claudio.*

33. QVINTILLVS.

MORTVO iam *Claudio*, suffectus est in locum eius à militibus *A Quintillus*, germanus ipsius. Qui vbi intellexit se odio haberi, & *Aurelianum* ab exercitu Imperatorem acclamatum, seque imparem illius conatibus esse comperit, venas soluisse, & voluntariè duobus relictis liberis decessisse dicitur. Vel vt quidam volunt, quod se grauem & serium contra milites *A. Quintillus die vigesimo imperij sui perijt.*

Annus Christi	Imperij	Mens.	Dies.

tes ostenderat, eo genere quo *Galba* & Pertinax interemptus est, vigesimo die Imperij sui.

34. L. Domitivs Avrelianvs. 271 20

SVBLATIS igitur duobus hisce germanis fratribus, *Lucius Domitius Aurelianus*, obscuris parentibus siue in *Dacia*, siue in *Mæsia*, vel *Pannonia* Sirmij natus (diuersas etenim ea de re maiorum sententias fuisse Vopiscus testatur) fauore militum oblatum solus Imperium tenuit: homo æqui amantissimus visus in præscribendis militibus suis legibus, sed in delinquentes nimis seuerus, & in Christianis persequendis acerbus. Qui in Orientem profectus, in itinere in Thracia & Illyrico occursantes Barbaros prostrauit, Bithyniam recuperauit, ciuitatem *Thyanam* & *Palmyram* expugnauit. In Europam postliminio reuersus, omnes hinc inde grassantes hostes debellauit ac fugauit. Ad Gallias deinde profectus, Vindelicos obsidione barbara liberauit. Verumenimuero cum per Illyricum contra Persas pugnaturus, iter faceret, apud *Zenophorium*, Heraclæam inter & Byzantium, ministri scelere cui secretorum officium crediderat, occisus est, septimum iam Imperii sui annum auspicatus. Fuit vir neruis validissimis, vini cibique paulo cupidior, libidinis raræ, gladij agitandi studiosus, seueritatis immensæ, disciplinæ singularis.

(Margin, beside line 1: 271)

Persecutio X. sub Aureliano, vel eius Præfectu.

(Margin: 278 *mense Febr.* — Imperij 6)

35. M. Clavdivs Tacitvs.

AVRELIANO interempto, sex totis mensibus interegnum fuit, dum bonus quæritur Imperator. Vnde post diutinam militum ac Senatorum disceptationem, tandem septimo Kalend Octob. ex Senatusconsulto *Claudius Tacitus*, Princeps Senatus, vir laudatissimus, sed iam ætate prouectus, Imperator designatus est; qui datis ad omnes prouincias rescriptis, Christianorum persecutionem vbique cessare mandauit. Erat enim natura clemens, & in afflictos egenosque humanus ac beneficus. Domum siquidem demolitus est suam, vt eo in loco publicas priuato sumptu balneas construeret. Vitæ fuit insuper parcissimæ, fabricarum peritissimus, marmorum cupidus, venationum studiosus, atque apprimè doctus; qui nullum intermisit diem, qua non aliquid vel scriberet vel legeret. Ob temporis autē breuitatē nihil præclari designasse legitur. Vtpote qui cum explesset mensem Imperii sui duntaxat

(Margin: 278 *die 25 Sept.*)

sextum

Annus Christi | Imperij | Mensis | Dies.

sextum, apud Pontum in expeditione Mæotica decessit men-
se Martio, siue morbo, siue gladio. Qua de re diuersas fuisse *g In Tacito.*
279 mense Mar 6 sententias, *g* Vopiscus memorat.

36. M. Annius Florianus.

279 2 EO mortuo, *Florianus* ipsius germanus, nullo Senatus seu militum consulto, sed veluti hæreditario iure Imperium inuadens, cum vix duobus mensibus tenuisset, occisus est à militibus apud Tharsum.

37. M. Aurelius Valerius Probus.

279 VIVENTE adhuc *Floriano*, ab Orientali exercitu electus est is, quem Senatus optarat, & populus Romanus faustis acclamationibus petierat, M. scilicet *Aurelius, Valerius Probus* è Pannonia oriundus, ciuitate *Sirmiensi*, patre *Maximino* Tribunatu militiæ claro. Qui & Gallias à barbaris liberauit, occisis tunc quadringentis barbarorum millibus, & Gothos in Thracia subiugauit, Siciliam & Isauriam latrocinijs expurgauit, variis in locis pontes, templa, porticus, & id genus alia ædificauit. Romam verò, variis hinc inde compressis Tyrannis, reuersus, triumphauit. Sed bellum Persicum parans, & iter per
283 5 Illyricum faciens, à militibus suis per insidias interemptus est anno Imperii sui quinto.

38. M. Aurelius Carus.

PROBO extincto, creatus est à militibus M. *Aurelius Carus.* Quem alii Romæ ex parentibus Illyricis, alii Narbonæ in
283 Gallia natum tradunt. Hic bellum Persicum, quod *Probus* adornare cœperat, omni cum apparatu prosecutus est, liberis suis *Carino* & *Numeriano* prius Cæsaribus nuncupatis. Gloriæ autem auidior, cùm longius esset progressus, morbo correptus, vel fulminis ictu (vt alii volunt) prostratus, vitam finiit, anno Imperii secundo iam inchoato.

284 2 39. Carinus & Numerianus.

ARRIPVERE mox Imperium filii eius Cæsares *Carinus* & *Numerianus*; hinc in Oriente, quod cum patre in expedi-

Annus Christi | Imperij | Mens. | Dies.

Carinus occubuit anno 285. Numerianus 84 interfectus.

expeditione ageret; *Carinus* verò in Gallijs, quo missus fuerat. Propagauit autem iste in occidente Imperium vsque ad annum ducentesimum octogesimum quartum, quando apud 284
Mergam in Dalmatia bello superatus, occubuit. *Numerianus* verò mœrore obitus patris ægrotans, cum orientis capessiuisset Imperium, ab *Arrio Apro* socero suo, paulo post interfectus est.

40. A. VALERIVS DIOCLETIANVS.

Persecutio XI. sub Diocletiano & Maximiano.

SVCCESSIT verò homo morum inhumanitate ac vitæ im- 284
probitate famosissimus, & Christianis infensissimus, *Au-* die 21
relius Valerius Diocletianus, obscurissimo loco natus *Dioclea* (vn- Apr.
de & *Diocletianus* nuncupatus, siue à matre eodem nomine *Dioclea* dicta) oppido in Dalmatia, libertus quondam *Anullini* Senatoris. Qui Imperij habenas vndecimo Calend. Maij. capessens, & diuersis mundi in partibus diuersos exoriri tumultus conspiciens, consortem Imperij *Maximianum* delegit, mox *Galerium Maximinum*, & Constantium Cæsares fecit. Quorum *Diocletianus Iouium*, *Maximianus* verò *Herculeum*, vocari se passi sunt, diuinos planè honores affectantes. Vterque autem depositâ purpurâ Imperio se abdicauit vno eodemque die: iste quidem Nicomediæ, anno imperij sui vigesimo necdum exacto, hic verò Mediolani, idque vndec. Calend. Martij. Post depositum Imperium mansit *Diocletianus Salonis*,
vitam agens priuatam, ac rei rusticæ ad annos circiter decē in- 313 | 20
dulgens. Quem veneno tandem hausto expirasse nonnulli memorant, anno ætatis septuagesimo octauo.

Maximianus cœpit regnare cum Dioclet. an. 286. Vterque se abdicat imperio anno 304. die 19. Februar.

Maximianus autem *Herculeus* cognomento, in Gallias 307
profectus ad Constantinum generum suum, vt insidias ei pararet: quibus detectis, apud Massiliam apprehensus est, fractisque laqueo ceruicibus interemptus. Eiuscemodi vitæ infælicem exitum meruit vterque sanguinarius, & in Christianos tyrannus acerbissimus.

41. CONSTANTIVS & MAXIMIANVS.

CVM autem *Diocletianus* & Maximianus deposuissent si-
mul Imperium; qui Cæsarum titulo cum eis Rempubli- 304
cam administrauerant, *Augusti* appellari cœpti sunt; vtpote *Constantius Chlorus*, & *Galerius Maximianus*. Quorum iste ex patre *Eutropio*, Romanæ gentis nobilissimo, & matre *Claudia*,

Anno Christi	Imperij	Menses	Dies
306 die 25 Julii.	13		
306 die 1 Mar			
309			
311			

Claudij Augusti filia; hic vero in *Dacia ripensi* agrariis ortus parentibus erat, Qui ita inter se Imperium sunt partiti, vt *Constantius Herculio* in Occidente, & Aphrica; *Galerius Diocletiano* in Oriente, Græcia, & Illyrico succederet. *Constantius* tamen concessit Galerio Aphricam & Italiam; contentus Hispania & Gallia. Qui ob morum integritatem cunctis se amabilem exhibens, erga Christianos mirè fuit humanus: licet in Britannia degens, non ita potuerit eorum negotiis, maximè viuente adhuc *Herculio*, suo pro desiderio consulere. Est verò anno Imperii sui decimo tertio *Eboraci* vita functus: relictis liberis ex *Helena* Constantino Magno, ex *Theodora* verò, Maximiani priuigna, *Amiaballino*. Vir fuit admodum pius & Christi cultor insignis, natura mansuetus, modici cultus, ac diuitiarum spretor eximius, vasis nonnunquam vtens fictilibus. Obiit autem anno Christi trecentesimo sexto, octauo Calend. Augusti, cùm iam prius filium suum Constantinum ex Helena genitum, hæredem Imperii testamenti tabulis designasset.

Galerius autem Imperator duos Cæsares eodem anno 306. creauit; vtpote *Flauium* Valerium *Seuerum*, & *Maximinum* natum (vt *h* Zosimus testatu) ex sorore eiusdem *Galerii* Augusti, & ab eodem adoptatum. Et *Galerius* quidem *Maximianus* obiit in Dacia anno sexto à Diocletiani abdicatione saltem inchoato, anno scilicet 309. licet alii reiiciant in annum 311. *h Lib. 2.*

42. CONSTANTINVS MAGNVS.

MELIORIBVS iam succedentibus temporibus, meliorem quoque Christianus Orbis Imperatorem consecutus est; *Constantinum* videlicet, ob res præclarè gestas, verè *Magnum*, si non Ter Maximum; patre *Constantio Chloro*, matre verò *Helena* natione Britanna, anno Christi 275. in Britannia prognatum. Qui tam ex patris testamento, quàm votis exercitus designatus proclamatusque est hæres Imperii sub initium mensis Augusti, cũ esset annorum triginta vnius. Quod cum Romæ auditum esset, *Constantinum* scilicet Imperare, Maxentius *Maximiani Herculii* filius vel gener, Imperium inuasit fauore Prætorianorum militum 7. Calend. Octob. Qui victus à *Constantino* in occidente occubuit, lapsus è ponte Miluio in Tiberim. Hic Imperatorum primus fuit, qui abiurato idolorum cultu, Christianæ fidei nomen dedit, baptizatus à Syluestro Papa anno Christi 324. permittens vnicuique liberũ Christianæ religionis exercitium. Qui celeberrimis à Deo impetratis victoriis, bella diuersa fœliciter suscepit ac finiuit, ipsumque

Constantinus natus est an. 275. Factus est Imperator 306. ineunte mense Augusto.

Maxentius inuadit Imperiũ quem postea deuicit Constantinus anno 312.

Annus Christi | Imperij | Mens. | Dies.

ipſumque *Licinium* affinem ſuum, Imperii conſortem, quòd religioni huic aduerſaretur, deuicit *i* & occidit. Duos autem filios ſuos *k Criſpum* & *Conſtantinum* Cæſares creauit, alios verò filios ſuos *l Conſtantium* videlicet & *m Conſtantem* aliquanto poſt Cæſares pronuntiauit. Eccleſias porro variis in locis, maximè verò Romæ liberaliter admodum conſtruxit ac dotauit; vtpote *S. Petri* in Vaticano, in templo Apollinis, *S. Pauli* inter viam Oſtienſem & Tiberim, nec non & Lateraennſem
i 324
k 315.
l 325
m 335

Cæterum anno Imperij ſui nono decimo in orientem proficiſcens, nouæ ciuitatis conſtruendæ initium deſignauit, eamque de nomine ſuo *n Conſtantinopolim* appellauit & anno inſequenti *o Nicenum Concilium* finem habuit; cui intereſſe potius quam præeſſe voluit: *p* Scythas autem per *Gallicanum* debellauit, redemitque Imperium Romanum à veteri ac probroſo vectigali: *q* Gothos quoque Sarmatas, ſicuti, & orientales Alemannos Thraciam inuadentes *Conſtantinus* deuicit. Filijs autem ſuis partitus eſt Imperium anno imperii ſui *r* vltimo. Ná *Conſtantino* natu maximo ceſſit auita poſſeſſio, cunctæ ſcilicet per Alpes regiones; Conſtantio Oriens; *Conſtanti iuniori* pars intermedia. Paulo poſt verò ex hac vita migrauit in ſuburbana villa Nicomedię, vndecimo Cal. Iunii, cùm vixiſſet annos ſexaginta quinque, regnaſſet autem triginta vnum, ſepultus Conſtantinopoli in atrio Baſilicæ SS. Apoſtolor. Fuit porro *Conſtantinus* hic Magnus formæ decore nemini ſecundus, & cum gratioſum ſe maximè exhiberet, tum decentiæ magnificentiam coniunxit. Statura quoque corporis ſpectabundus. Nam ſicuti neque nimium procerus eſt habitus, ita & exiguam breuitatem longè ſuperauit. Humeris latis ſenſim ceruicem craſſiorem prætulit, colore corporis rubicundus, minus denſum habuit capillum, eumque flaueſcentem: barba mediocriter tenuis & rara, neque admodum demiſſa erat, *&c.* prout apud *ſ* Nicephorum legere licebit. Illud porro conſtat à Græcis ſolenni celebritate *Conſtantinum* coli vti Sanctum, animamque eius ſubuectam inter beatos in cœlum. Inter Sanctos enim relatus reperitur in Eccleſiaſticis Græcorum tabulis, qui diem anniuerſarium natalis eius (vtpote 22. Maij) religioſo cultu huc vſque proſecuti ſunt.
n 324
o 325
p 329
q 333.
r 336
337 die 22 Maii | 31

ſ Lib. 8. hiſt. c. 55.

43. CONSTANTINVS, CONSTANS *& Conſtantius.*

FILII Conſtantini Magni vbi patrem ſuum ex hac vita ſublatum eſſe intellexerunt, tum Senatus tú exercitus ſtudio, 337

Annus Christi	Imperij	Mens.	Dies.

quisque eorum relictam sibi ex patris testamento Imperii partem festinus accepit: & *Constantinus* quidem natu maximus (*Crispus* enim, senior natu frater ex *Mineruina* genitus, viuente adhuc patre anno 324. occisus est, quod cũ *Fausta* nouerca rem habuisse falso ab ea accusatus esset) cum minimo natu *Constante* omnia trans Alpes sita, & Italiam & Illyricum sortitus est, præterea Ponto Euxino finitima, & Africæ quidquid ad Carthaginem pertinet; *Constantio* vero datum est, quidquid esset in Asia, Oriente & Ægypto. Sed ne quid hic confusionis oboriatur, & horum illorumque res gestas obitusque permiscuisse videamur, dicendum primo de ipso seniore filio *Constantino*, qui cæteris citius est è medio sublatus.

Nam non contentus diuisione sortis suæ, ob Italiæ Africæque ius cum *Constante* fratre suo dissentire incipiens, viribus fretus rem armis exequi statuit, ac bellum cum eo gerere. Et iam ad *Aquileiam* peruenerat, vbi primum missos à fratre milites, vt conatus eius repellerent excepit, & incautius cum illis congressus, cùm equus Principis ictus vulnere sessorem deiecisset, à militibus circumuentus, humi iacens sine purpura incognitus, multis ictibus confossus & obtruncatus est ad *Alsam* fluuium, haud longè ab Aquileia ætatis anno vigesimo quinto, Imperii triennio nondum finito. *Constantinus occiditur.* 340.

3 *Constantino* ita interempto, summa totius Occidentalis Imperii in *Constante* Augusto remansit. Qui magno conatu Galliam, Alpibus superatis, intra biennium potestatis suæ fecit. Mox autem, siue rerum fœlicitate, siue aduersa valetudine immutatus (pedibus enim manibusque articulorum dolore vexabatur) cunctis ingratus, difficilis grauisque esse cœpit. Ob quod coniuratio in eum facta est, authoribus *Chrestio* & *Marcellino*, simulque *Magnentio* Tyranno, legato exercitus, sicque occisus est mense Martio apud *Helenam* oppidum Pyrenæo proximum, anno ætatis vigesimo septimo. Quem † B. Athanasius magnoperè laudat. *Magnentius* autem Imperium arripuit, & *Decentium* fratrem suum Cæsarem fecit, potitus Gallia, Italia, Africa. *Constans.* 340.

350 in Mar 13 — † *in Apolog. ad Constant.*

337 *Constantius* autem Constantini Magni filius, cùm post parentis obitum Imperii habenas cum fratribus capessere cœpisset, mox in domesticos patris sui, atque adeo in ipsos præcipuè consanguineos suos delæuiit. Ac primum quidem *Constantium* patruum suum, à militibus interfici curauit, dein' verò *Dalmatium* patruelem suum, Cæsarem iam designatum,

Annus Christi	Imperij.	Mens.	Dies.

tum quoque ipsum *Aniballianum* Dalmatii fratrem interemit. Neci autem subtraxit *Iulianum* (eundem videlicet illum, qui aliquanto post Imperator electus *apostata* nomen habuit) ætas; & *Gallum*, morbus. Et quia nullos habebat liberos, dum Antiochiæ ageret, *v* *Gallum* patruelem suum Cæsarem fecit, & v. 351
Orienti præfecit. Ingenti autem exercitu aduersus *x* *Magnentium* comparato, memorabili illum prælio ad *Murtiam* fudit; quo Romani vires Imperii penè concidêre, quinquaginta tribus millibus vtrinque desideratis. *Gallum* porrò Cæsarem à se antea dictum præter modum ferocientem & insolescentem x 353.
neci tradidit. Tum vero *y* Iulianum, tres & viginti annos ætatis agentem, Cæsarem pronuntiauit, tradita ei sorore sua *Helena* in matrimonium. Vxorem verò habuit *Eusebiam*, Arrianam, sicuti & ipse Arrianus fuit: vnde exilium indixit omnibus qui Athanasium, insignem Arrii antagonistam, damnare nollent. Diuersos etiam præstantiss. orthodoxæ religionis Episcopos in exilium relegauit. Ideoque etiam infœliciter semper contra Persas bellum gessit. *Eusebia* vxore defuncta, aliam y 355
nomine *z* *Faustinam* sortitus est: ex qua genita filia posthuma, z 361
Constantia dicta, quam postea *Gratianus* Imperator vxorem accepit. Cæterum cum intelligeret Cæsarem *Julianum* hæc & illa, suum in præiudicium, loca armis sibi vendicare, profectus fuit in Thraciam, & inde vlterius Antiochiam & Tharsum Ciliciæ, per vias difficiles Mopsuestiam contendens, ibique & animi mœrore, & febris ægritudine confectus, tertio nonarum Octobris eodem illo anno quo *Faustinam* duxit, è vita abiit, Imperii vitæque anno quadragesimo, & mensibus 361
paucis; locus mortis est Mopsuestiæ ad Tauri montis radi- *die 5.*
ces. *Octo.*

44. IVLIANVS APOSTATA.

CONSTANTIO defuncto, *Flauius Claudius Iulianus*, cogno- 361
mento *Apostata*, annos natus viginti nouem, vniuersum *die 11*
Romanum Imperium solus obtinuit, venitque Constantino- *Dec.*
polim vnde oriundus erat, tertio Idus Decemb. statimque religionem Christianam, cui nomen olim dederat, solemniter abnegauit, Deorumque cultum introduxit. Et licet in gratiam Iudæorum, contumeliamque Christianorum, templum *a* Hierosolymitanum restaurare inchoauerit, prodigiis tamen variis a 363

Annus Christi	Imperij	Mens.	Dies.
363	2		
363 die 27 Iunii.			
364 die 17 Febr.		7	20

impeditus, pergere non potuit. Magorum quoque fautor fuit eximius, ipseque artis nefandæ studiosus; cuius aula meretricibus ac cinædis semper referta erat. Christianis persecutionem atrocem mouit, licet breuem, seipsum forma *Serapidis* pingi curauit, suamque statuam Cæsareæ Philippi, in locum statuæ Christi (licet non impunè) subrogauit, fæminis virorum repudium indulsit, Christianorum sacris identidem irrisit, dæmones sibi familiares reddidit, magos sæpè consuluit, aliaque impia ac scelerata multa præstitit. Tandem verò contra Persas pugnaturus, etsi ingentē haberet exercitum, prœlio tamen de summa rei decernens, mox inopinata hasta quædam equestris, cute brachij eius perstricta, costis perfossis hæsit in ima iecoris fibra. Quam dum euellere dextera manu cœpit, acuto vtrimque ferro digitorum neruos sentiens excisos, ipsumque cruorem in aërem spargens, blasphemas hasce voces in Christum euomuit, *Vicisti tandem Galilæe, vicisti.* Huncque infœlicem vitæ exitum habuit sceleratus hic *Apostata*, anno ætatis trigesimo primo, Imperij verò secundo, minus mensibus tribus, & diebus nouem.

Persecutio XII. sub Iuliano apostata an. 362.

45. * IOVIANVS.

**Al. Iouinianus.*

POST *Iulianum* cœlitus extinctum, cum haud pateretur rerum angustia, longa de nouo Imperatore deligendo agitari comitia, ipso illucescente die quinto Calend. Iulij, mira Dei prouidentia, in locum eius omnium ferè ducum, ac totius exercitus suffragio, *Iouianus Singidone* in Pannonia, patre *Varroniano* Comite natus, Imperator subrogatus est. Vir verè Christianus, excelsique animi: qui noluit prius Imperium capessere, quàm milites se se *Christianos* proclamassent. Dignus quidem longiore vita. At verò, cùm ipsis Calend. Ianuarijs anni insequentis, ex Antiochia Constantinopolim profecturus, peruenisset Ancyram Galatiæ, & circa locum *Dadastanam* dictum, qui Bythiniam diuidit à Galatia, nocturnam quietem caperet, manè mortuus est repertus. Putatur autē denso prunarū vapore (cum ad exsiccandum recens ædificatum parietem in eius cubiculo incensæ fuissent collocatæ) spiraminum meatibus occlusis, interijsse; idque tertio decimo Calend. Martij, cum imperasset menses duntaxat septem, & dies admodum viginti, annos natus triginta tres. Cuius corpus Constantinopolim translatum, in atrio Basilicæ duodecim Aposto-

postolorum, cæterorum inter *Augustorum* exuuias, collocatum est.

Annus Christi | Imperij | Mensis | Dies.

46. VALENTINIANVS I.

Valens regnat unà cum Valentiniano.

NONO mox die ab obitu *Iouiani*, vtpote quinto Calend. 364
Martij, nulla discordante sententia, sed Numinis aspi- *die* 25
rante gratia, electus est Imperator *Valentinianus*, Pannonius *Febr.*
natione: non tam generis nobilitate, quàm roboris fortitudine commendatus. Cui inde *funarii* cognomen adhæsisse legitur, quod venalitium funem circumferenti, quinque milites extorquere illum è manibus ipsius nequiuerint. Adsciuit autem sibi mox in socium Imperij, *Valentem* fratrem suum, eoque in *Oriente* relicto, ipse in *Occidentem* se recepit, multasque pias leges promulgauit; vxorem & fratrem habens Arrianos, quamuis ipse Catholicus semper perstiterit; fauit quoque impensè *Damaso* Papæ aduersus *Vrsicinum* Diaconum, licet in puniendis delictis plus æquo seuerior exstiterit: Clericos & monachos repulit ab hæreditatibus & legatis mulierum, castitatis fuit amantissimus, eiusque violatæ vindex acerrimus. Manichæorum interim conuenticula prohibuit,
Donatistas in Aphrica iteratò baptizantes, coërcuit. Anno 367
porro Imperij sui quarto *Gratianum* filium Augustum atque *Die*
Imperij socium creans, mox expeditionem fœliciter in *Ale-* 24
mannos duxit; misso *Theodosio* peditum Magistro contra Sco- *Aug.*
tos & Pictos; qui occisis Romanis ducib. Britanniam penè occupauerant. Cæterum cùm *Valentinianus* aduersus *Quados* exercitum mouisset, tam vehementi in eorum toties rebellantium Legatos irâ exarsit, repentino vti sanguinis vomitu ex-
tinctus sit, anno ætatis quinquagesimo quinto, Imperii mi- 37 | 10
nus centum diebus decimo, die decimo quinto Calendar. *die* 17
Decemb. *Nou.*

Persecutio XIII. sub Valente arriano.

Valens autem qui iam annos aliquot cum fratre suo *Va-*
lentiniano imperauerat, præfectus nimirum Orienti, iam Im- 375
perij socium accepit *Gratianum*, fratris sui filium, gessitq; bellũ aduersus *Gothos*, quòd auxilia præstitissent *Procopio*; verũ quia
suasu vxoris baptizatus est ab impio *Eudoxio*, lapsus est in hæ- 366
resim *Arrianã*, Episcopos sedibus expellẽs, Monachos autẽ ad militiã cogens, & persecutionẽ in Christianos mouens. Tandẽ verò perijt ob hæresim, ab ijs quos ipse in hæresim abduxerat.

Nam

Annus Christi	Imperii	Mensis	Dies
378 die 9 Aug.	14	4	
375			
380			
383			
383 die 15 Aug.	16		

Nam iniens in Thracia prœlium aduerſus *Gothos*, non exſpectatis copiis à *Gratiano*, qui tunc Alemannos in Galliam erumpentes apud *Argentariam* deuicerat, fugam capeſſiuit, ſagittaque pecuſſus, in agreſtem caſam à ſuis delatus eſt; in eaque cum omnibus quos ſecum habebat viuus exuſtus, quinto idus Augusti, anno ætatis quinquageſimo, Imperii verò decimo quarto, adiectis menſibus quatuor, & diebus aliquot.

48. GRATIANVS.

GRATIANVS anno Christi 367. nuncupatus *Auguſtus*, incœpit poſt obitum parentis ſui *Valentiniani*, ſolus imperare cum *Valente* patruo ſuo anno 375. matre natus *Seuera* Syrmi. Princeps planè religioſus ab adoleſcentia, pudicus & verecundus: qui poſt interemptum patruum ſuum, fidei ſcilicet orthodoxæ perduellem, & acerbum Catholicorũ perſecutorem, facultatem dedit Catholicis omnibus exulantibus Epiſcopis ad ſuas reuertendi Eccleſias, expulſis interim Arrianis qui in eorum locum ſubrogati fuerant, magnique inter cæteros fecit B. *Ambroſium* Mediolanenſ. Eccleſiæ Antiſtitem, imperans cum fratre ſuo *Valentiniano* iuniore, *Juſtinæ* filio, qui adhuc puer in Italiam venerat anno Chriſti 376. ſicque Occidens duos accepit Imperatores. Cæterum *Gratianus* ſtrenuum ſe exhibuit aduerſus hæreticos, nec permiſit illis ſua agere conuenticula, creauitque anno Imperii ſui duodecimo *Theodoſium* Imperatorem Orientis, annorum tunc triginta trium, idque in publicis militaribus comitiis. Et ſicuti hic *Gothos* deuicit & Thraciâ expulit, ſic ille *Alemannos* in Germania debellauit, eſtque hoc modo per pios hoſce Principes Imperium priſtino ſplendori reſtitutum. *Valentinianus Iunior regnat cũ fratre ſuo Gratiano*

Cæterum cum Maximus *Tyrannus*, natione Hiſpanus, *Theodoſii* antea commilito, Occupaſſet imperium in Britannia & Gallia, eius inſidiis circumuentus Lugduni periit, derelictus ſcilicet ab exercitu ſuo, & per *Andragathium* aduerſæ partis ducem octauo Calend. Septemb. interemptus. Quem cum conſtet anno Domini 367. die 24. menſis Augusti *Auguſtum* creatum, ſequitur illum expleſſe annum Imperii ſui ſextum decimum, ætatis circiter vigeſimum octauum. Prædicantur eius laudatiſsimi mores, fides, pietas, humanitas, caſtitas, cæteræque tum animi tum corporis eius dotes à præfato B. Ambroſio, *b* Rufino, *c* Auſonio, aliis.

a In Pſalmi 61.
b l.2.c.13.
c In gratiar.act. pro Conſul.

49. VA-

Annus Christi	Imperij.	Mens.	Dies.

49. VALENTINIANVS II.

VALENTINIANVS *Iunior*, Iustinæ filius à fratre *Gratiano* post 376
obitum patris in Imperii consortem adscitus, & in Ita-
liam missus, veniens in orientem ad *Theodosium* benignè est
exceptus, serioque monitus ne matri in defendenda Arriana
hæresi assentiret, sed potius pietatem paternam sectaretur. Ve-
rum aliquantò post in Galliam remissus, dum *Viennæ* negli-
gentius moraretur, fraude *Arbogasti* Alanorum Præfecti, no-
ctu in cubiculo suo strangulatus est idibus Maii, pridiè Pen- 392 16 6
tecostes, cum imperasset annos sexdecim, & menses sex minus *die* 15
octo diebus, ætatis anno vigesimo septimo inchoato. Cuius
corpus delatum est Mediolanum, ibidemque honorificentis-
simè à B. Ambrosio tumulatum.

50. THEODOSIVS MAGNVS I.

NATVS est patre *Thodosio*, exercitus duce, qui totam cùm 385
Mauritania Africam meliorem pristinis legibus reddidit,
& *Firmicum* tyrannum in Africi debellauit; apud quem *Theo-
dosius* hic eius filius adhuc iuuenis ibidem militauit. Ad Impe-
rium autem euectus, præclara multa designauit. Nam Rem-
publ. Gothicis armis propemodum oppressam, restituit; Ec-
clesias vrbis Constantinopol. Arrianis abstulit, & Catholicis
tradidit, *e Arcadium* filium sexennem Imperatorem creauit, e 383
f Maximum tyrannum bis fœliciter debellauit, qui *Aquileiæ* f 388
à militibus suis traditus, obtruncatus est. *g Theodosius* porro g 389
vna cum *Valentiniano*, de liberato imperio occidentali Romæ
triumphauit, Vrbem idolorum cultu expurgauit, apostatas &
hæreticos profligauit, *h Honorium* etiam alterum suum filium h 393
Occidentis Imperatorem, sub initium Ianuarij anni 393 crea- *in Ia-*
uit, Ducesque belli eodem anno *Stiliconem*, *Gainam* & *Alari-* *nuar.*
cum designauit; superatis insuper Iulicarum alpium angustiis,
prope *Aquileiam* ad ripam amnis nomine *Frigidi* Eugenium i 394
tyrannum & Arbogastem mirabili planè stupendoque prælio
superauit ac prostrauit. De qua cœlesti *Theodosii* victoria Pau- *k lib. 7. hist. c. 35.*
lus *k Orosius* ita ex *Claudiano*, paucis immutatis, versiculos
hosce recenset.

O nimium dilecte Deo, tibi militat æther,
Et coniurati veniunt ad classica venti.

Annus Christi	Imperij	Mens.	Dies
395 die 17 Ianu.	16		
395			
l 395			
m 399			
n 400			
408 1. die Maii	25	3	51
o 408			

Qui quidem cum filios suos *Arcadium* & *Honorium* Constantinopoli Mediolanum ad se veniẽtes benignè excepisset, eosque B. Ambrosio commendasset, ex vita hac ibidem decimo septimo Klend. Februari magno totius orbis damno decessit, cùm imperasset annos sexdecim, & duobus diebus iamque septimum decimum attigisset, annum agens ætatis quinquagesimum. Corpus eius Constantinopolim translatum est, ibidemque sepultum.

51. ARCADIVS & HONORIVS.

SENIORI *Theodosij* filio *Arcadio Oriens* cessit, *Honorio Occidens*: quorum hic decem duntaxat, alter verò viginti erat annorum, cum eorum parens vita fungeretur. Quorum ætas quandoquidem Imperio necdum matura satis erat, tres Imperij tutores testamento sanxit; *Arcadio Rufinum*, *Stiliconem* Wandalum *Honorio* adsignauit: *Gildonem* verò Africæ præesse voluit. Et quidem *Arcadius* qui anno Christi 383. dum sexennis adhuc *Augustus* à patre est appellatus, & ab Arsenio literarum studijs imbutus, vxorem duxit *Eudoxiam* Licerniam, gessitque *l* bellum contra Persas pro defensione Christianorum, & capitale supplicium statuit in receptores & occultatores hæreticorum; idolorum etiam templa in pagis passim destrui iussit; indigna porroplurima à *Gaina* perpessus, *m* tandẽ eum hostem Reip. declaratum, per Duces suos *n* superat & necat, Natus est autem ei filius *Theodosius* ex *Eudoxia* vxore Arriana, arrogante atque audaci fœmina: Quæ eum in odium *Iohannis Chrysostomi* grauiter concitauit. Ob cuius iniustam persecutionem creditur diuini numinis offensam incurrisse, subreptus ex hac vita maturè satis, annum duntaxat ætatis agens trigesimum primum; cum imperasset vna cum patre annis duodecim, post obitum tredecim, mensibus tribus, & diebus quindecim.

52. HONORIVS I.

NATVS est ille anno trecentesimo octogesimo quarto, & post obitum patris in Orientali imperio successit, ipsosq; Manichæos in Africa insigniter compresit, iubens vbiq; locorum templa idolorum dirui, Donatistas verò seueris edictis exagitauit, sicuti & alios hæreticos nonnullos, *o Stiliconem* socerum suum (cuius duas filias singulas vxores habuit, vtraq; licet virgine defuncta) proditorem Imperij detectum, interfici mandauit, ab *Alarico* Gothorum rege in angustias quidem redactus est, Roma iam ab eo capta sed tamen pijs edictis suis

Designatur Augustus à patre 393.

auertit

Annus Christi	Imperij.	Mens.	Dies.

auertit extremã Vrbis desolationem, & p tyrannos debellauit, p 411 &
ac de *Attalo* ipso triumphauit. Tandẽ verò morbo aquæ intercutis Romæ octauo decimo Kalend. Sept. decessit, cum imperasset ab obitu Theodosij patris annos viginti octo, menses 412 414
septem, minus duos dies, vixissetque annos triginta nouem, & mensem vnum expletum, reconditus iuxta corpus B. Petri, 423 die 15
nullam relinquens superstitem prolem. Aug.

52. THEODOSIVS II.

HIc statim cum natus esset, fuit ab *Arcadio* parente suo 401
Augustus renunciatus, regnauitque annis aliquot cum patruo suo *Honorio*. Quo mortuo cum solus rerum potiretur, *Valentinianum Placidium*, natum ex *Constantio* Cæsare, & *Placida* sorore Honorij, Augustum designauit. Qui anno 425. vnà cum matre *Placida* in Italiam venit. *Theodosius* verò vxorem duxit *Eudociam*, & varias de hostibus victorias cœlitus reportauit, *Codicem* quoque de nomine suo *Theodosianum* nuncupatum, publicauit, & fœliciter, quam diu *Pulcheriam* sororem suam penes se habuit, imperauit. Quam vbi à se q amouit, minus prosperè rem gessit, & ab *Eutychete* ac *Dioscoro* hæreticis q 446
nonnihil se decipi permisit, ita tamen vt auctoritatem Romanæ Ecclesiæ nequaquam contemnendam existimauerit. Quin imo, r *Pulcheria* sorore reuocata, consilijs eius fideliter acquiescens, ac remedia ab ea ministrata percipiens, multa admiratione digna in expiationem admissi sceleris, quæ f Nicephorus narrat, præstitit. Quem alij febre extinctum, alij in venatione ex equo delapsum, occubuisse adserunt. Obijt autem quarto Calend. Augusti, anno Imperij ab exitu parentis *Arcadii* quadragesimo tertio, per tres menses inchoato, ætatis vero quadragesimo nono. r 450 | 450 Die 29 Iulii. | 43

Valentinianus III incipit imperare cum Theodosio II. 425

f Lib. 14. ib. ca. 49.

53. VALENTINIANVS III.

PORRO qui cum *Theodosio* Iuniore annis viginti sex, cum *Marciano* autem quinque plus minus annis imperitauit, *Valentinianus* scilicet, eius nominis *tertius*, parentes habuit *Constantium* Cæsarem, & *Placidiam*, sororẽ *Honorii* & Arcadii, natusque est anno 418. & post obitum *Honorii* exstinctumque tyranũ *Iohannẽ*, Imperator Occidẽtis à consobrino suo *Teodosio* renuntiatus: cuius filiã *Eudoxiã* in vxorẽ habuit. Post diuersa autẽ gesta bella iniustè occisus est ab eo Cõsul *Aetius*, magna occidẽtalis Imperii salus, & regis quondã *Attilæ* terror nec diu 425 454

...gna- An- ...us à ...re 393.

Annus Christi	Imperij	Mens.	Dies.
455 die 17 Mar.	30		
Occiditur. 455			
456 die 18 Maii			
450			

ſuperuixit *Valerianus*. Mox nã anno inſequente, ſexto decimo Calend. Aprilis, dolo *Maximi* Romani Senatoris, cuius vxorem conſtuprauerat, trucidatus eſt Romæ in *campo Martio* ab amicis *Aetii*. Tenuit autem Imperium annis triginta, minus menſibus ſeptem, & diebus ſex.

Eo verò interempto, multi exorti ſunt Tyranni, quorum primus qui Imperium tyrannicè inuaſit, fuit *Maximus* Senator, qui *Eudoxiam* Auguſtam vel inuitam ad coniugium ſuum impulit. Quæ *Genſericum* Wandalorum Regem ingenticum exercitu Romam euocans, eo rem pertraxit, vt *Maximus* horrendum in modum interficeretur. Cum enim capta à *Genſerico* Roma, fugam capeſſeret, lapidibus obrutus, membratimque diſcerptus fuit, cum duos duntaxat menſes & dies aliquot imperaſſet. *Maximus tyrannus imperat menſes duos & dies aliquot.*

Poſt cædem vero *Maximi*, elapſo interſtitio viginti octo dierum interregni, in Gallijs *Auitus* (qui præfectura Prætorii Galliarum à *Valentiniano* donatus, & Magiſter militum à *Maximo* creatus, tunc Legatum pro fœdere pacis agebat apud *Theodoricum* Gothorum Regem) ab exercitu, adnitentibus Gothis *Imperator* acclamatus eſt inuitus atque reluctans. Qui ſibi metuens à *Ricciario*, *Aëtii* ſucceſſore, Imperium depoſuit decimoquinto Calend. Iunij, ſicque vacauit Imperium occidentis menſibus decem. *Auitus inuitus ſubſtituitur.* *Deponitur.*

54. MARCIANVS.

THEDODOSIO *Iuniore* anno quadringenteſimo quinquageſimo defuncto, cœpit cum *Valentiniano* Tertio *Marcianus* imperare, humili quidem genere in Thracia natus, ſed ſucceſſu temporis ad Senatoriam Tribunitiamq́; dignitatem euectus, virtute militari ac morum grauitate inſignis, *Pulcheriæ*, Theodoſij ſorori percharus. Moderatus ſanè Princeps, & rebus agendis idoneus, ſi per ſenectam viuere diutius licuiſſet. Nam imminutum Orientis Imperium, per annos admodum ſexaginta dilapſum, prudentia ſua ac conſilio ita reparauit, vti breui ingens cunctis exultatio & ſpes dilatandi Imperii oriretur. Cum *Parthis* enim & *VVandalis* fœdus percuſſit, ac pacem inijt, *Attilæ* minas compeſcuit, *Nomades & Blommias* Æthiopia dilapſos, à finibus Romanorum pepulit; tandemque cum ſe parans ad bellum aduerſus *VVandalos*, qui Romam diripu-

Annus Christi | Imperii | Mens. | Dies.

ripuerant, ad supplicationes quæ in Campo fiebant, egredere-
tur, defunctus est die vigesima sexta mensis Ianuarij, cum im-
perasset annis sex & mensibus totidem. Prædicatur à Scripto-
ribus eius in pauperes liberalitas, & erga fidem Catholicam 457
studium propensissimum: qui etsi præfatam *Pulcheriam* vxo- *Die*
rem haberet, virginem tamen eam reliquit. *26*
Ian.

55. Leo Cognomine Marcellus I.

MARCIANO defuncto, communi Senatus exercitusque 457
consensu, *Leo* Tribunitius, & ipse Thrax natione, Im-
perator salutatus est, & ab *Anatolio* Episcopo Constantinopo-
litano diademate coronatus, annum tunc agens quinquagesi-
mum quartum: cui à beatissima Dei genetrice virgine *Maria*
imperium prædictum fuisse legitur. Cum eius autem consen-
su mox primo Aprilis creatus est *Occidentis* Imperator *Ma-*
ioranus, qui post quadriennium, anno scilicet 461. apud *Der-*
thonam Hispaniæ ciuitatem, à *Ricimero* militum Magistro oc-
cisus est: cuius auxilio *Seuerus* inuasit Imperium.

Maioranus quoque fit Imperator 457 & occiditur 461.

Cæterum *Leo* s Legates suos misit in Orientem ad Ecclesiæ s 458
statum componendum ac tranquillandum, visitauitque deuo-
tè insignem illum t *Danielem Stilitam*, in columna vitam sub t 461
dio agentem, eiusque precibus masculam prolem obtinuit. v v 468
Ingentes quoque copias aduersus *VVandalos* misit, quæ ta-
men inertia ac proditione ducum hæreticorum perierunt.
Quin & in x *Asparem* eiusque filios Arrianos sese vltus est, x 469
arte eos deludens, cum via aperta punire non posset. Ob quo-
rum necem dictus est *Macelles* cognomento, deditque filiam
suam *Ariadnam* nuptui *Zenoni* Isauro, y *Leonem* verò *Iuniorem*, y 472
nepotem suum ex *Zenone* & *Ariadna* genitum, Imperii con-
sortem fecit. Numerantur autem anni Imperii *Leonis* senio-
ris septendecim & menses sex; nam obijt anno 474. Iunioris
vero eius nepotis, Imperij & vitæ menses tantummodo de-
cem; quippe qui vno eodemque anno cum auo suo obiit. Fu-
isset sanè *Leo senior* optimos inter Imperatores adnumeran- 474 | 17 | 6
dus, si non tam indulgenter cum hæreticis egisset, parcendo *mense*
videlicet *Basilico* Verinæ coniugis germano, nec *Zenoni*, qui *Ianu.*
postea tam ingentes Ecclesiæ clades intulit, generum & admi-
nistratorem Imperijj cooptasset.

Annus Christi | Imperii | Mens. | Dies.

56. ZENO ISAVRICVS.

ILLIS ita defunctis, mox *Zeno* imperij habenas capessiuit,
obscurissimi videlicet generis homo, & *Isaurus* Ciliciæ hu-
mili & incognita villa; tam facie quàm moribus deformis. Qui
non vt Augustus, sed potius vt Tyrannus imperauit, fauens hæ-
474 reticis ac vacans libidinibus. Pulsus autem fuit cum vxore à
Basilisco fratre videlicet *Verinæ* Augustæ, & quæsitus ad ne-
476 cem dilituit in solitudine, herbis duntaxat vitam tolerans. Re-
uersus autem cum exercitu & *Basiliscum* inuadēs, miserè eum
mori coegit, *Verinam* quoque socrum, fœminam pientissi-
mam in exilio mori compulit, sortitus & ipse terribilem post-
modum vitæ exitum. Quippe morbo comitiali quo crebrò
laborabat arreptus, siue crapula nimia & ebrietate consopitus,
ac pro mortuo habitus, viuus est sepultus. Cùm verò è sepul-
chro lamētabiliter domesticos & satellites implorare auditus
esset, prohibente *Areadna* vxore, cui inuisus esse cœperat, ne
491 7 5 quis monumentum aperiret, miserè perijt, suis ipsius lacertis
Mens. April. & caligis quas gestabat, vt post compertum z Cedrenus nar- *z In compend. histor.*
rat, comestis; postquam annos septemdecim & menses quinq;
imperasset. Sub quo Imperatore incendium vsque adeo graue
Byzantij fuit, vt præter maximam Vrbis partem conflagratam,
centum & viginti millia librorum combusta sint.

57. MOMILIVS AVGVSTVLVS.

ORESTES creatus Magister militiæ *Nepote* Imperatore, cō-
475 uersus in hostē, Roma cum exercitu Rauennam veniens,
filium suum *Monilium*, *Augustulum* nuncupatum, Imperatorē
acclamari fecit. Quod cùm *Nepos* compertum habuisset, ac cū
Oreste vniuersum cōspirasse exercitum animaduertisset, in Dal-
matiam fugit. *Orestes* autem & frater eius Paulus anno inse-
quente ab *Odoacro* Erulorū rege extincti sunt; ipse verò *Au-
gustulus* cùm vix vndecim mēsibus Imperium tenuisset, in *Lu-
476 cullanum* Campaniæ prope Neapolim situm castellum, ab eo-
dem *Odoacre* relegatus est; sicque Imperium Occidentale col-
lapsum est penitus, & ad barbaros deuolutum.

Nam anno quadringentesimo septuagesimo sexto Imperium in Occidente cum Augustulo defecit, & successerunt Reges Italiæ: quorū primi fuere Odoacer, Theodoricus Gothus, Athalaricus &c. qui Rauennæ potißimum regnauerunt, inter Romanos Imperatores nequaquam numerandi.

58. BA-

Annus Christi	Imperij	Mens.	Dies.
476			
477	1	6 8	
502			
518 die 9. Iulii.	27	3	29
518			
a 518			
b 525			

58. BASILISCVS.

BASILISCVS tyrannidem exercens, & *Zenonē* Imperatorem armata manu prosequens, frater fuit *Verinæ* augustæ, ipsius Zenonis socrus; qui ad imperium euectus, mox Ecclesiam grauiter persequi cœpit, *Zenonide* coniuge ipsum ad hoc maximè impellente. Atque ideo Deo hominibusque, suam ob impietatem & auaritiam inuisus, postquam Imperiū occupasset annum vnum, & menses sex vel octo, à *Zenone* Imperatore, quem ipse prius expulerat, in exilium relegatus est; ibique cum vxore & liberis fame contabuit.

59. ANASTASIVS I.

MORTVO post *Basiliscum* Imperatore *Zenone*, *Ariadna* eius vxor, *Anastasio*, qui in Palatio inter milites erat, Imperium detulit, suspecta turpis cum eo cōsuetudinis. Cuius quidem *Anastasii* fausta fuerunt initia, sed pessimus progressus, vti præter alios notat *Suidas*. Fuit verò hæreticorum fautor, & catholicorum persecutor, vnde & excommunicari ob hæresim à *Symmacho* Pontifice meruit. Quin & populus Constantinopolitanus contra eum insurgens, tam ipsius quàm vxoris statuas demoliens, funibus per vrbem eas traxit. Cùm autem totum fermè Orientem persecutionis igne exussisset ac perturbasset, fulminis ictu percussus nona die Iulij interijt, cùm regnasset annos viginti septem, menses tres, & dies viginti nouē. Quem Cedrenus ait fuisse corpore procerissimo, oculis trucibus ac mediocriter cæsijs, caluastrum insuper ac canum.

60. IVSTINVS. I.

SVCCESSIT impio *Anastasio Iustinus*, militiæ & Prætorianorū Præfectus, genere Thrax vtroque parente ignobili ortus, ex porcario siue armētario, gregarius antea miles. In quo mirabilia apparuerunt opera Dei, cum idem è carceris sordibus (fuerat enim ab *Anastasio* prædecessore suo carceri mācipatus, ac tantum non morti adiudicatus:) in thronum Imperialem translatus est: actutum declarans se non solū *a* Concilii Chalcedonensis professorē, sed & Orthodoxorum omniū protectorē; reuocando illos ab exilio, & hæreticos persequendo & exagitando. *b* Quin & *Iohannē* Papam ad se à Theodorico Gothorū Rege missū, humillimis obsequiis excepit, eiusq; manib⁹

co-

Annus Christi	Imperii	Mens.	Dies
c 527			
527 de 1 Aug.	9		
527 die 1 pr.			
d 529			
e 531			
f 533			
g 535			
h 535			
i 539			
565 die 13 Nov.	38	8 7	13

conari expetijt. *c Sororis* quoque suæ filium *Iustinianum*, petente id Senatu, Imperatorem renuntiauit. Iberos Christianos à Persarum persecutione defendit; & *Lazorum* regi Christiano facto, titulum & ornamenta Imperialia tribuit. Tandem verò morbo senioque confectus Kalend. Augusti ex hac vita quàm pientissimè decessit, postquam imperasset annos nouem, ac decimum inchoasset.

61. IVSTINIANVS I.

IMPERIVM mox capessiuit *Iustinianus*, *Iustini* sororis filius, ex *Beridina* Illyrica ciuitate genitus; quem annos natum quinquaginta Kalend. Aprilis ipsemet *Iustinus* Imperatorem creauerat, & suis manibus eius capiti diadema imposuerat, qui mittens *d Belisarium* militiæ Præfectum cum exercitu in Persas contra *Cabadem* regem, insignem victoriam reportauit. Iniijt etiam societatem cum *Homeritis*, *e* qui regionem ad littus rubri maris tenebant, nec non & cum Æthiopiæ monarcha tunc Christiano. *f* Legatos ad Pontificem misit & epistolam, de dubijs circa res fidei inquirendis. Iterum, autem misit exercitum cum *g Belisario* in *VVandalos*, trimestri spatio Africam Imperio restituit, capto *Gilimero* rege, & Constantinopolim misso, sicque cessauit regnum Wandalorum in Africa. *h* Eius quoq; belli Dux *Mundus* nomine, Gothos profligauit in Dalmatia apud *Salonam*. Codicem Imperialium constitutionum, *Iustinianeum* appellatum, anno Imperii sui tertio promulgauit, atque aliquanto post *i* Orbem Romanum à lenonum immunditiis expurgauit. Cæterum nimium *Theodoræ* vxori suæ credens, læsus fuit ab illa nonnihil in fide, nimis curiosus dogmatum & rerum Ecclesiasticarum, ad Pontificem potius quàm Imperatorem pertinentium: malè insuper sibi arrogans Romani Pontificis promotionem. Qui cùm absoluisset annum Imperii sui trigesimum octauum, atque nonum ingressus esset, per menses septem vel octo ac dies tredecim, ex hac vita migrauit idibus Nouembris annum agens 83.

62. IVSTINVS II.

SIMVL ac *Iustinianus* est defunctus, eadem ipsa die Senatu hortante, insignia Imperi suscepit *Iustinus* Junior, filius

Dulcis-

Annus Christi	Imperij	Mensis	Dies

Dulcissimi ex *Vigilantia* sorore Iustiniani, cuius item coniunx
Sophia appellata neptis fuit *Theodoræ* Augustæ; qui iam ante
ab auunculo pronuntiatus erat Cæsar. De cuius prauis edictis 565
& moribus multa à Scriptoribus notantur ac culpantur. Fidei
enim fuit Catholicæ contemptor maximus, & in *Pelagianam*
hæresim incidit; auaritia & luxuria ardens matrimonium ex
consensu dissolui posse sanciuit, sacerdotia venalia exposuit,
in suos desæuiit, Vertigine cerebri vexari solitus, nouo insu-
per mœrore cladium ab hostibus illatarum, in phrenesin in-
cidit, ideoque nono Imperii sui anno *Tiberium* Cæsarem crea- 579 113 9
uit, obiitque mense Augusto, postquam explesset in Imperio *in*
annos tredecim ac menses nouem. *Aug.*

63. TIBERIVS CONSTANTINVS II.

OPTIME censendus est fecisse *Iustinus*, quod consilio *So-
phiæ* Augustæ k *Tiberium* collegam sibi adsciuerit, excubi-
torum Comitem genere Thracem, virum omnibus animi
corporisque dotibus præstantem, Deum timentem, ac reli- k575
gionem Catholicam cumprimis amplectentem. Quem miri-
ficè commendasse repeiuntur *l Euagrius*, *m Gregorius* Turo-
nensi. *Suidas*, alii Qui liberalitate ac rerum gerendarum dex-
teritate omnium sibi animos deuinciens, quidquid longa a-
uaritia *Iustinus* contraxerat, egentibus dispertiit; refragante
nequicquam *Sophia* Augusta. Quanto autem plus donauit,
tantò plus inuenit. Nam non solum *Iustini* thesaurum ingen-
tem sed & *Narsetis* in Italia, sene quodam monstrante, reperis-
se legitur. Solus autem imperare cœpit anno 579. habuitque
vxorem *Anastasiam*, vnde duas suscepit filias, *Charitiam*, quæ
Germano desponsata, & *Constantinam* minorem, quæ Mau-
ritio Imperatori nuptui tradita est. Porro cum res bellica *Ti-
berio* cordi foret, quindecim selectorum militum millia sibi
delegit, quos *Tiberianos* de nomine suo nuncupauit: quorum
opera in bello potissimum Persico vteretur, præficiens illis
Mauricium, hominem bellicosum, reique militaris præ cæte-
ris gnarum, qui Regem Persarum *Cosrhoen*, post *Iustini* obitum 581
Romanum imperium inuadentem, variis initis prœliis profli-
gauit, ipsamque Persidem deuastauit, eoque tandem mœroris
superbum Regem crebris victoriis insolescentem adegit, vt
miserabiliter mori coëgerit. Quem quidem *Mauricium* ob rē 582
præclarè gestam, generum constituit, dando illi filiam suam *die 1*
Constantinam, ac Cæsarem insuper creauit, vnà cum Imperio *Iulii.*
suum quoque nomen ei impertiens. Mortuus est autem anno
insc-

l L.5 c.13.
m lib. 6. cap. 30.

Annus Christi	Imperii	Mens.	Dies.
583 die 10 Aug. 583	8		
602	20		
602			

insequente *Tiberius*, quarto Idus Augusti, cum regnasset solus annos quatuor, totidemq; cum *Iustino*, vno minus mense.

64. MAVRITIVS TIBERIVS.

FVIT hic ex Cappadocia oriundus, vir bello fortis, ideoq; *Tiberio* vsque adeo gratus, vt in rebus arduis eius potissimum opera vteretur. Cuius fortitudinem, pietatem, aliasque insignes virtutes n *Euagrius* & o *Nicephorus* mirificè commendant. Qui quidē inter fœlicissimos Imperatores collocandus erat, si quemadmodum fuit Catholicæ fidei tenacissimus, fuisset pariter & in reliquis æquè sincerus. Sed dum libertatem Ecclesiasticam conuellere voluit, ipsumque Romanum Pontificem contemptui habuit, ac tenacitati nimiæ studuit, omnipotentis Dei vindictam experiri meruit. Nā milites inita contra eum conspiratione. *Phocam* Schythiæ Præfectum, Imperatorem elegerunt; qui *Mauritium* cum vxore ac liberis fugam molientem reduxit, & mox ante eius oculos quatuor paruulos filios masculos necari præcepit, *Mauritio* nihil aliud, quàm Dauidicum illud proferente. p *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.* Tandem verò & ipse vltimo loco trucidatus est anno Imperij vigesimo, ætatis sexagesimo tertio; omnibus autem capita abscissa fuere. Huncque miserandum vitæ exitum habuit bellicosus hic Imperator, qui magnitudine rerum præclarè gestarum celebre sibi apud posteros nomen peperit. Eius verò necem antea diuinitus ostensam esse S. *Theodoro* Siceotæ, qui ipsi olim Imperium diuinitus prædixerat, q acta eius vitæ habent.

n Li. 5. cap. 19.
o Li. 18. cap. 6.
p 118.
q Apud Surium 22. April.

65. PHOCAS.

MAVRITII stirpe penitus excisa, *Phocas* Imperium sibi vendicauit; homo socors & ignauus, frequentibusq; adulterijs ita infamis, Romanum vt Imperium Barbari vndique vastarent. Persæ enim Mesopotamiam & Syriam occupauerunt, Hierosolymamque depopulati sunt, sanctissimam Christi Saluatoris nostri crucem asportantes, omniaque ferro ac flamma deuastantes. Horrendam etiam carnificinam Constantinopoli *Phocas*, ob coniurationem in se detectam, exercuit. Cuius mores ac corporis habitum describens r *Cedrenus* ait hominem fuisse deformem, terribilem aspectu, rubente capillo, superciliis coëuntibus, mento raso, cicatrice in mala notatum, quę ipso irascente denigrabatur; vinosum, mulierosum, sanguinariū, hæreticum &c. Vxorem porro eius *Leontiam* Augustam ijsdem

r In annalib.

dem

Anno Christi	Imperij	Mensis	Dies

de fuisse moribus imbutam, prorsus vt mariti sui tyrannidem hortatu suo promouisse potius quam cohibuisse censenda sit. Cæterum *Phocas* cum tali modo efferam crudelitatem suam octo circiter annis exercuisset, tandem ab *Heraclio*, iam paulo ante in Africa Imperatore proclamato, capta Constantinopoli superatus est, eiusque iussu enecatus: nam manibus, pedibus, ac pudendis cum capite amputatis, trunci quod reliquum fuit milites flammis combusserunt. Quo cum alios pariter fratres 610
eius & necessarios enecatos, *Zonaras* tradit.

66. HERACLIVS. 8

FVit hic quidem genere Cappadox, ex familia illustri pro- 610
gnatus, diuitijs potés, robore etiam ac pulchritudine præstans; acclamatus autem ab exercitu in Africa *Imperator*, & à *Sergio* Constantinopol. Patriarcha coronatus, vxorem habens *Eudociam*, Rogati Afri filiam. De quo memorant Scriptores quod anno Imperij sui duodecimo in Armeniam progressus 622
memorabilem victoriam contra Persas reportauerit fuso non exercitu duntaxat, sed & Rege fugato & ingenti abacta præda. Quin & gigantem singulari certamine superauit, *Razetem* Ducem propria manu interemit, signaque Romanorum trecenta à Persis olim erepta, recuperauit; *Epiphaniam* filiam suam sub initium anni 612. vergente verò ipso ad finem, *Heraclium* fi- 612
lium suum, Augustos nuncupauit: Persas anno 627 debellauit, & sequentibus aliquot annis *Syriam* recuperans, veteres Im- 627
perij limites propagauit. Occiso demum *Chosroa*, crucem Dominicam, præclarum salutis nostræ trophæum, reportauit. E- 628
ius denique nomine toto terrarum orbe celeberrimo reddito, legationes vndique amplis cum muneribus suscepit. Verum quia fidei orthodoxæ consulere imprudens dum studuit, *Monothelitarū* hæresim imbibit, iungens incœstum fratris sui, cuius filiam *Martinam* in vxorem duxerat, eam ob causam infœliciter obijsse existimatur. Nam anno imperij sui trigesimo pri- 641 31
mo confectus animi ærumnis, corporisque molestijs, ea quæ pudor est referre in membro genitali perpessus, ex humanis excessit, mense Martio vel Aprili.

67. HERACLIVS IVNIOR, COGNOMINE CONSTANTINVS.

PArenti defuncto successit filius *Heraclius Iunior*, cogno- 641
mine *Constantinus*; qui iugi morbo detentus, vix quatuor 4
in Imperio menses absoluit, veneno ipsi à *Martina* nouerca (vt putatur) propinato: quæ filio suo Heracleonæ Imperium adstruere moliebatur.

Anno Christi | Imperij | Mensi. | Dies.

68. HERACLEONAS.

641 MARTINÆ igitur filius *Heracleonas*, post interemptum *Heraclium*, maternæ factionis studio successit quidem, adiuuante etiam *Pyrrho* Constantinopol. Episcop. sed rebel-
642 6 lante Senatu, post sex menses ab Imperio depositus est, ac mutilatione nasi mulctatus: pariterque eius mater *Martina* ceu perfida fæmina, linguæ abscissione punita; ac denique ambo in perpetuum exilium relegati.

69. CONSTANS II.

IMPERARE cœpit mense Octobri *Constans*, qui & *Constanti-*
642 *nus* Tertius, filius *Constantini* noui seu *Iunioris* ex *Gregoria*,
in Heraclii filia, natus. Qui anno Imperii sui s tertio decimo *Con-*
Octo. stantinum filium, qui Græcis ὁ πωγονάτος dictus est, secum im-
s 654 perare fecit, ac valde acerbus in *Martinum* Pontificem, eius nominis *Primum*, quē in exilium relegauit; exstitit hæresimq; *Monothelitarũ*, cui impensè fauit, plurimum propagatum iuit. Vnde & prœlio nauali à t *Saracenis* postmodum superatus, vix
t 654 mutata veste elabi potuit, quibus & tributum pendere coactus fuit: fratrem quoque suum v *Theodosium*, officio Diaco-
v659 natus insignitum, interemit, & somniis hinc inde molestis exagitatus, Imperium Syracusas transferre cogitauit: Vbi & occisus est in balneo à ministris suis Idibus Iulii, cum imperasset
668 27 annos viginti septem, relictis post se tribus filiis, Constanti-
die 15 no scilicet, Heraclio & Tiberio.
Julii.

70. CONSTANTINVS COGNOMENTO *Pogonatus*, V.

668 OCCISO iam parente, *Constantinus* eius filius *Pogonatus* nũcupatus, qui iam dudum Cæsar ab eo designatus erat, Imperii habenas solus capessiuit, Orthodoxæ fidei ac Romanæ Ecclesiæ perquam studiosus. Qui ducto in Siciliam exercitu, contra parentis interemptores insurgens, eosque interficiens, ac dein' Constantinopolim *Barbatus* rediens, *Pogonati* nomen inde contraxit. Cui pacem Ecclesiæ restituere satagenti omnia prospere aduersus Jmperii hostes successerunt. Bellũ enim cũ Saracenis, in Siciliã, Græciam & Thraciã irruentibus aliquot annorũ spatio terra mariq; prospere gessit, tributũ eis annuum imponens, Eccclesiam Romanam à pensitatione pe-
x 68 17 cuniæ pro ordinatione Põtificis dari solitæ liberauit, x fratres

suos

Annus Christi	Imperij	Mensi	Dies
685. 17. in Ian. y 685			
685 in Septeb.			
10			
694			
696			

suos Heraclium & Tiberium, res nouas molientes in ordinem redegit ac Imperio detrusit, solusque deinceps cum filio *Iustiniano*, imperauit, ac tandem cùm regnasset annos septendecim, in pace expirauit.

71. IVSTINIANVS II.

a. In vita Ioan. V. Pötificis.

SVCCESSOREM regni ac hæredem reliquit *Iustinianum* filium. Quem a Anastasius tradit anno sexcentesimo octogesimo quinto mense Septembri imperare cœpisse. Qui etsi iuuenis admodum esset, nulliusque consilij, id tamen diuina opitulante gratia consecutus est, vt Barbaræ aliquot nationes pacis deposcendæ gratia vltro ad eum venerint. Recuperauit etiam Duce *Leontio*, *Armeniam*, *Mediam*, *Albaniam*, *Hircaniam*, interemptis Saracenis illic existentibus. Inuentos autem in Armenia *Manichæos*, Imperator flammis exuri iussit. Cæterum cùm ipsemet successu temporis nonnihil in fide nutare ac Romanæ Ecclesiæ se opponere cœpisset, iam omnibus odio factus, tam ob sæuitiam erga subditos, ac præcipuè ciues Constantinopolitanos, quàm ob contemptum rerum diuinarum; iussissetque suis quibusdam Ducibus, vti noctu populum trucidarent, initio facto à Patriarcha alijsque Ecclesiasticis, facta est in eum populi seditio; vnde præcisis naribus, in Chersonesum relegatus est, & ab Imperio amotus, in eiusque locum *Leontius* Patricius suffectus. Verum *Iustinianus* ad Trebellium Bulgarorum regem confugiens, militaremque manum accipiens, Imperio restitutus est.

Imperator Deponitur. 694.

Restituitur.

72. LEONTIVS.

RELEGATO in exilium *Iustiniano*, imperij habenas triennio circiter administrauit *Leontius*. Qui etsi rem militarem strenue sub *Iustiniano* gessisset, veniens tamen in affectati regni suspitionem, carceri aliquamdiu ab eo mancipatus fuit, & à populo inde extractus, Imperator acclamatus. Cuius tertio Imperij anno Saraceni siue Arabes Africam occupauerũt. Quos cum ille classe parata per suos profligare conaretur, atque illi re infecta Bysantium remeare non auderent, *Leontius* à *Tiberio* regno pulsus, truncatus & ipse naribus in carcerem detrusus est, ac postea à *Iustiniano* imperium recuperante, occisus.

Annus Christi | Imperij | Mens. | Dies.

73. TIBERIVS III.

TIBERIVS dictus alio nomine *Absimarus*, ab exercitu
in Africa tumultuose Imperator electus, quàm citissimè
696 Constantinopolim aduolauit, atq; imperium, capto *Le-
ontio*, capessiuit. Sub cuius imperio Romani Syriam & Samo-
satiam peruagati, ad ducenta circiter Arabum millia interne-
cione deleuerunt, opimisq; cum spolijs domum remeauerunt.
Verum *Absimaro*, Pontificem Romanum *Iohannem* VI. Sede
sua depellere conantem, dirum Deus aduersarium, à quo ipse-
met imperio pelleretur, suscitauit. Nam *Iustinianus* ab exilio
reuersus, ac valida Bulgarorum manu munitus, Constantino-
6 polim clam inuasit, & *Absimarum* vna cum *Leontio* vinctos, *Absimarus occiditur 702.*
per vrbem in pompam duxit, & post varias illatas contume-
lias, ceruices illis amputari iussit, regnauitq; denuò *Iustinianus*
sex annis. Qui cùm inclementius ageret ad Pontum Euxinum
cùm Chersonensibus, illi *Philippicum* quendam Imperatorem
acclamarunt, sicq; captus & occisus est *Iustinianus*, secûndum *Iterum regnat Iustinianus & occiditur. 711*
5 Imperator.

74. PHILIPPICVS

QVIBVS ita interemptis successit *Philippicus*, cognomento
Bardanius, filius patricij *Nicephori*; ex nobili quidē prosa-
712 pia, sed ob deprauatissimos vitæ mores & *Monothelitarum* hę-
resim quàm propugnabat, superis inuisus. Nam stabilito sibi
morte omnium qui *Iustiniano* fauissent, Imperio, *Sextam* abo-
lere Synodum, in qua Monothelitæ damnati sunt, est aggres-
sus. Sed haud quaquam impune. Postquam enim annum dun-
taxat vnum aut sex menses in Imperio habuisset, ipsa Pente-
713 | | 1 | 6 costes vigilia, post splendidum conuiuium nobilioribus ciui-
bus exhibitum meridie requiescens à Patricijs quibusdam ap-
prehensus & excæcatus est, ac postea in exilium relegatus, sic-
que meritas temeritatis suæ pœnas hæreticus persoluit.

74. ARTHEMIVS, SEV ANASTASIVS II.

PHILIPPO hoc modo in ordinem redacto ac relegato altera
717 in solemnitate Pēteco. mox die cōuocato in magnam Ecclesiam vniuerso populo,
coronatus est in Imperatorem *Arthemius*, eidem *Philippico* à se-
cretis, dictusque mutatione nominis *Anastasius*, inter Impera-
tores eius nominis *Secundus*; vir vti sermone affabilis, ita & cō-
uersatione commendabilis. Cùm porro exercitum contra Sa-
racenos in Aegyptum misisset, classiarijs quibusdam cōtuma-
cius agentibus, qui illum oderant domum reuersi, *Theodosium*
hominem quendam ignobilem Imperio præfecerunt. A quo
me-

monasterio inclusus est, ac tandem à *Leone Isaurico* occisus, cùm imperasset anno vno, & mensibus tribus.

75. THEODOSIVS III. AL. IV.

ETsi natus est hic quidem Constantinopoli loco obscuro, fuit tamen vir comis ac benignus, ac fidei orthodoxæ obseruantissimus. Qui imagines à *Philippico* è templis sublatas, restituit. Nec pœnitendū planè Imperatorem egisset, si diutius per *Leonem* Isauricum licuisset. Qui dum ad Imperiū aspiraret, *Theodosius* pacis ac quietis amans, octauo Kal. April. sponte se abdicauit, factus vna cū filio suo clericus ac religiosus, Ephesique haud sine miraculorum gloria defunctus.

76. LEO TERTIVS.

AFFECTVS Imperio desiderio iam olim pruriens *Leo*, cognomento *Isauricus*, tandem aliquando (in magnum videlicet Christianæ reipublicæ ac fidei orthodoxæ detrimentum) eo est potitus. Homo adeo obscuri nominis, vti sedentariam aliquando exercuisse legatur. Hic *a* *Constantinum* filium suum, *Copronymum* nuncupatum, cùm bimatum necdum excessisset, coronari in Paschate curauit, *b* promulgauitque edictum aduersus sacras imagines, in gratiam impostorum Iudæorum, qui Imperium ipsi prænuntiauerant, fuitque primus omnium Imperator hæresiarcha, & insignis *Hagiomachus*, Sanctorum inuocationem & reliquiarum cultum negans, ac *Gregorium* eius nominis octauum Pontificem Romanum vehementi odio persequens. *c* Qui nequicquam tentans sibi Romanam Vrbem subijcere, excommunicatus est in *d* Synodo Romana, & tandem decimo quarto Calendas Iulij, cum regnasset annos viginti quatuor, mēses duos, & dies viginti ex hac vita subtractus, ac diuinitus ob sacrilegiū suum percussus, impietatis suæ pœnas exoluit, detrusus ad inferos. Sub cuius Imperio varia fuere orbi Christiano clades illatæ. Nam Romæ contigit inundatio Tiberis maxima, Bythinia Thraciaque ingenti terræ motu conscissa sunt, muri Byzantium magna ex parte collapsi, milleni aliquot libri in publica ac numerosa ibidem Bibliotheca exusti, &c.

Annus Christi	Imperij	Mensis	Dies
715. mēse Aug.	1	3	
717 die 25 mar.	1		
717			
a 720			
b 726			
c 729			
d 730			
741 die 18 Iunii	24	2	20

77. CON-

Annus Christi	Imperij	Mensi.	Dies.
741 die 18 Iunii.			
775 die 14 Sept.	34	2	26
775			

77. Constantinvs, Copronymvs, VI.

SVccessit mox impio parenti filius impijssimus, nomine *Constantinus*; qui dum anno 719. à S. Germano Patriarcha Constãtinopolitano aqua lustrali expiaretur & baptizaretur, sacrique baptismatis fontem oleto defœdaret, *Copronymi* nomine dehonestari cœpit. Imperij autem habenas solus accepit anno 741. quando iam tunc vnà cum patre annos duos supra viginti imperitauerat. Cuius mores *Theophanes* describens, ait illum fuisse hominem pernitiosissimum & ferum, magicis artibus libidinibusque deditum, omnibusq; animam corrumpentibus vitijs, ab ipsa mox ineunte ætate infectum. Habuit in vxorem *Irenem*, filiam *Chaiani* Regis, collegitque concilium aduersus sacrarum imaginum vsum, adeoque & Sanctorum cultum, ne qua in re parẽte inferior fuisse videretur, Nestoriana se insuper hæresi polluens, Ecclesias prophanauit, reliquias exturbauit, Brumalia more Gentilium celebrauit, sacratissimam Dei genitricem diris verborum execrationibus blasphemauit, cõtra viros monasticen professos, persecutionem excitauit, alijsque diuersis scelerum flagitijs, ita se contaminauit, prorsus vt viuus adhuc ac benè sibi præsens clamauerit. *Se igni traditum propter Mariam Deiparam.* Nã in expeditione aduersus Bulgaros constitutus, cœlesti est in cruribus plaga punitus, quam Græci ἄνθρακα appellant. Vnde febre validissima correptus, in castellum *Strõgylum* est deportatus, vbi animæ & corporis mortem horrendum vociferans obijt octauo decimo Kalend. Octob. cum regnasset post mortem patris annos triginta quatuor, menses duos, dies viginti sex.

Notent, & horreant nostri temporis Iconomachi.

78. Leo Qvartvs.

SVccessorem habuit *Leonem* eius nominis quartum, paternæ impietatis non minus, quàm Imperij hæredem. Qui etsi primo Imperij sui tempore pius videri voluerit, forte ab *Authusa* sorore pientissima, & *Irene* coniuge ad id permotus; postea tamen hæreticus apparuit, & sacrarum imaginũ exterminator fuit. Neque quidquam prosperè vnquam gessit. Vnam etenim duntaxat expeditionem adornasse legitur, qua infœliciter confecta, domum rediit; & paulo post apostemate carbunculi: (abstulerat enim è templi sacrario eiuscemodi gemma

Annus Christi | Imperij | Mensis | Dies.

gemmâ ornatam coronam, ſuoque capiti impoſuerat) in capite cœlitus innato, & ardentiſſima dein' febre ſubſecuta, menſe Septembri, quinto Imperij ſui anno ſacrilegus, interijt. 780 die 7 Sept. 5

79. IRENE VNA CVM FILIO CONSTANTINO. VII.

ET ecce ſexto mox Idus Septembris *Irene* pijſſima impij *Leonis* vxor, cum filio ſuo *Conſtantino* decem annorum puero, Imperij habenas ſuſcepit; per quos impietas profligata eſt, religio reſtituta, Imperij ratio, in melius commutata ac corroborata. Quàm diu autem *Conſtantinus* matris morem geſſit, eiuſque imperio obtemperauit, omnia domi foriſque proſperè ſucceſſere. At vbi ætate prouectior, matrem haud vlterius paſſus, eam adminiſtratione deiecit, & ſe & Imperium in varias difficultates coniecit, multiſque ſe exoſum reddidit. Qui ideo *Nicephoro* auunculo eius ſuffragia ſua deferebant; quod ille animaduertens & indignè ferens, auunculum lingua & oculis priuatum, in vincula coniecit. Mater verò filij impietatem exoſus, Duces donis potius onerauit, vt filium citius è medio tollerent, quàm vt ipſa ab illo in Siciliam (hoc enim iam animo agitare cœperat:) relegata ſecederet. Quod præueniendum ſibi ſtatuens, comprehenſos omnes filij conſc os, præ ignominia tonſos in exilium expulit: filium vero verbis ac verberibus caſtigatum, diu incluſum tenuit, militeſque ſacramento ſuo adegit. 780 die 8 Sept. 789

Cæterum Conſtantinus carcere ſolutus, paulo poſt à Legionibus Europæis & Armeniæ ad Imperium repetitus eſt; ſicque annus iſte primus numeratus eſt eiuſdem ſolius *Conſtantini*, abſque matre regnantis. Qui cum exercitum in Bulgaros duxiſſet, victus eſt; deceptus videlicet à *Pancratio* aſtrologo, certam victoriæ ſpem ſuggerente. *Irene* porro non quieſcente, factum eſt vt eius inſidijs ab alijs comprehenderetur atque oculis orbaretur, eoque ex vulnere moreretur, ipſa verò iam ſola rerum potiretur, & à *Carolo Magno* Galliarum rege in coniugem, miſſis ad hoc Conſtantinopolim Legatis, peteretur. Quod *Nicephorus* patricius & Logotheta Generalis, qui ipſemet ad Imperium aſpirabat, intelligens, & *Irenem* in ordinem redigens, eam in Lesbum inſulam exulatum relegauit; vbi mœrore animi confecta, vita deceſſit: mulier profecto in rebus Imperij adminiſtrandis, & viro 790 803

Conſtantinus moritur 797

Irena ſola Imperat annis 5.

Annus Christi | Imperii | Menſ. | Dies.

& ſocero prudenter. Ad hæc tam corporis forma, quam morum virtutumque elegantia ſpectabilis.

ANNOTATIO. *Ex quo ad tempora* CAROLI *Magni, in quem à Græcis Imperium, per Romanum Pontificem tranſlatum eſt peruenimus, hinc obiter duntaxat Græcorum ſubſequentium nomina potius Imperatorum quàm res geſtas percurremus, quo meliore liceat orationis decurſu, Latinorum ſeu Romanorum de cætero Imperatorum ſeriem percenſere.*

SEQVVNTVR GRÆCI IMPERATORES; QVI POST IRENEN, Orientis Imperium adminiſtrauerunt.

NICEPHORVS I.

802 POSTQVAM *Nicephorus* cognomento *Longotheta*, *Irenen* Imperatricem in exilium relegaſſet dolo inuaſit Imperiũ Orientale. Quod vt vt magis magiſque ſtabiliret, pacem fecit cum *Carolo Magno*, vti ſcilicet in has conditiones iretur, ambo *Auguſti* fratreſque dicerentur; Orientis alter, alter *Occidentis*. Item in Italiam hinc à *Neapoli*, illinc à *Siponto* quidquid vlterioris Italiæ in mare procurrit, cum ſuis è regione inſulis à Græco, reliquum à Franco Imperatore iura peteret. Cæte-

805 rum *Nicephorum* inuaſit *Aaron* Princeps Saracenorum cum exercitu trecentorum annatorum millium: cui non valens reſiſtere, pactus eſt dare illi tributum annuum tricenorum millium nummiſmatum, & tria millia nummiſmata in tributum capitis Imperatoris, & tria filij eius. Porro *Nicephorus* contra *Crunnum* Bulgarorum Regem exercitum ducẽs, ab eo captus

8o1 | 10 eſt ac decollatus; homo ambitione, crudelitate ac libidine præ cæteris inſignis.

Succeſſit tertio nonas Octob. *Michael Curopolates*, cog-

811 nomento *Rhancubenus*, eius in nominis Primus, Imperatoris

die 5 *Nicephori* gener, vir multis præclaris virtutum donis exor-

Octo. natus, & regali diademate à Patriarcha *Nicephoro* coronatus; in Chriſtianam quidem, religionem pius, ſed in bello parum ſtrenuus. Vnde victus à Bulgaris, & à Legionibus contemptui habitus, Imperio ſe ſponte abdicauit, monaſterioque ſeſe Deo militaturus mancipauit, cum duobus duntaxat annis imperaſſet.

* LEO

Annus Christi	Imperij	Mens.	Dies.
813	2		
820	7	5	
820			
829 die 1 Octo	8	9	7
829			
842	12		
die 19 Ian. 842			
867 die 24 Sept.	25		

*V. * Leo huius nominis *quintus* dictus *Armenus*, Imperij habenas suscipiens, latentem mox animo hæresim prodidit, ac de abolendis sacris imaginibus consilium cum suis inijt, ipsosque Ecclesiasticos in carceres coniecit, aliaque crudelitatis flagitia, sed haud quaquam impune designauit. Nam ipsa nocte Natalis Domini, dum officio Ecclesiastico interesset, in Ecclesia Paladij gladiis coniuratorum appetitus, ad sacrum altare recurrens, Cruce confodientium ictus diu auertit, donec tandem vulneribus vndique confossus succubuit, postquam regnasset annos septem, & menses quinque.

*II. Quo interempto successit * *Michael Amoriens.* cognomento *Balbus*, ex humili & sordido genere natus; lingua albutiens, atque in Christi religionem atrociter desæuiens. Qui cum imperasset annos octo, menses nouem, dies septem, dysenterio morbo ipsis Calend. Octobris decessit, maledictionibus omnium pro panegyricis infamatus.

Post cuius mortem *Theologus* ipsius filius, qui ad virilem iam ætatem peruenerat, patrium excepit Imperium. Vir maiori quam pater iustitia, qui bis cum *Saracenis* Asiæ prouintias deuastantibus prœlio congressus, bis victus est, castrisque exutus. Quibus cladibus mœrore confectus, in dysenteriæ morbum incidit, eoque anni 842. principio vitam finiuit, cum imperasset annis duodecim.

*III. Successorem habuit * *Michaelem* filium suum adolescentem, dictum *Porphyrogenitum*, qui simul cum *Theodora* matre imperitauit. Per quam quidem Imperatricem imagines Sanctorum restitutæ sunt, ac hæresis iconoclastrum penitus abolita, pax cum Bulgaris firmata, regni negotia fœliciter prudenterque administrata. Illa autem Imperio cedente, ac vitam monasticam amplectente, *Michael* solus iam imperans, cum mimis, scortis, adulatoribus, & aurigis ingentes Imperij opes abliguriuit, quoadusque largiter potus à *Basilio* Macedone, quem consortem Imperii adsciuerat, in lecto suo, manibus amputatis, ac vulneribus confossus Octauo Kalend. Octob. interiit, postquam imperasset vna cum matre annis quindecim, solus verò nouem expletis, & decimo inchoato, in vniuersum autem annis viginti quinque.

Annus Christi	Imperii	Mens.	Dies
867			
886 die 1 mar.	20		
911	25	3	
911	1		
912 die 6 Iunii			
e 944 die 16 Decemb.			
960 die 9. Noue.	49		
960			
963 die 16 Aug.			
969			
960	7		

Quo interempto, idem * *Basilius Macedo*, olim in collegam Imperii adscitus, imperare cœput; homo obscurus genere, & captiuus inter venales Constantinopolim olim adductus. Qui cum imperasset annos viginti, à ceruo cornu ictus, intestinis læsis, vitam cum morte mutauit; licet alij dicant eũ diarrheæ morbo contabuisse. *I.

Defuncto *Basilio*, eadem die * *Leo* eius filius, cognomento *Sapiens*, siue *Philosophus*, Imperium moderandum suscepit. Qui cùm ad vigesimum quintum imperii sui annum peruenisset, & per menses tres vigesimum sextum inchoasset, ventris profluuio ex hac vita migrauit, tertia ante Idus Iunij die. *VI.

Leone vita functo, *Alexander* frater eius Imperii habenas suscepit; qui anno sequenti sexta die Iunii moriens, Imperium reliquit * *Constantino*, fratris sui filio adhuc septenni puero. *IX.
Qui sub tutela matris Zoæ & nobilium quorundam relictus, magnas passus est, à * *Romano Lecapeno* patricio molestias: *II. Romanus
quem anno nongentesimo nono decimo in collegam imperii assumere debuit, Zoæ verò mater Augusta in monasterium detrusa est. Nec non & ipse etiam postea e *Romanus* à proprio suo filio *Stephano*, cùm iam aliquot annis cum collega suo *Constantino* imperasset. Qui quidem *Constantinus* & ipse à filio suo *Romano* iuniore, quinto Idus Nouemb. veneno sublatus est, tædio diuturnioris imperii affecto. Regnauit enim ab *Alexandri* obitu annos quadraginta nouem inchoatos. I. Imperij collega 9 9

Patre ita extincto, imperare cœpit * *Romanus* Iunior, qui eodem anno filium suum *Basilium* voluit Imperii collegam coronari. Et Romanus quidem obiit 963. Cui licet successissent duo eius filii, præfatus scilicet *Basilius*, & *Constantinus* pueri, *Nicephorus* tamen *Phocas* Imperium sibi vendicauit. *III. Basilius Romanus obijt 963.

Nicephorus, cognomento *Phocas*, fuit *Phocæ* Nicephori nepos; qui quod victoriis clarus esset, ab exercitu Imperator acclamatus est, & Constantinopolim veniens, decima sexta Augusti à Patriarcha *Polieucto* ibidem coronatus est. Aduersus quem postea Constantinopolitani, ob res malè gestas, insurgentes, eum adiuuante eos ipsius *Nicephori* coniuge, & *Iohanne Zemisco* facinus aggrediente, interemerunt septimo Imperii sui anno.

Iohannes porro *Zemisca*, Domini sui interemptor,

mox Imperator acclamatus est. Qui ad pacem cum Occidentali Imperatore conciliandam paratus, misit *Theophaniam*, *Romani* Imperatoris Constantinopolitani filiam, *Othoni* Imperatori, iam ante ei promissam. Qui quidem *Zemisca* rediens è Syria, veneno extinctus est anno imperii sui sexto, die quarta mens. Decemb.

Basilius & Constantinus fratres. Eademque die successere filii *Romani* Iunioris, *Basilius* & *Constantinus*: quorum ille vigesimum, hic decimum septimum agebat ætatis annum. Et quidem *Basilius* cum imperasset annos quinquaginta, vixisset autem septuaginta, obiit mense Decembri. *Constantinus* autem moriens anno 1029. sine mascula prole, reliquit cum Zoe filia imperium *Romano* genero, qui cognominatus est *Argyrus*.

*II. *Romanus* * autem etsi initio bonum quidem dedisset Imperii sui specimen, multa tamen postmodum Imperatore indigna commisit, per quæ aliis se exosum reddidit. Vnde cum regnasset annos quinque & menses sex, ab adultera coniuge Zoe *Augusta* veneno potionatus, sed necdum defunctus, opera eiusdem & *Michaëlis* amasii, miserè strangulatus interiit feria quinta ante Pascha, tertio Idus April.

*IV. Interim * *Michael* ille (cuius parentes quia apud *Paphlagonas* piæ naues oblinire soliti erant, hinc *Paphlagonus* cognomen ei adhæsit) substituitur; qui vna cum Zoe Imperium administraret; quam ipse tamen paulo post detensam, ac veste monastica indutam, in insulam relegauit. Qui & ipse ab Imperio anno 1402. erectus, oculisque priuatus est.

*XI. Cvi successit * *Constantinus*, cognomento *Monomachus*, huius nominis vndecimus, iunctusque est coniugio Zoæ Augustæ, ab exilio reuocatæ: coronatus autem est vndecima die mensis Iunii. Qui inchoato anno Imperij sui duodecimo mense Decembri obiit.

Habenas verò moderandas suscepit *Theodora Porphyrogenita*, filia *Constantini* Decimi Imperatoris, soror *Zoes* Augustæ: quæ mox seuerè animaduertens in nonnullos Imperii culmen arripere satagentes, penes se rerum omnium gubernationem retinuit, ac pacificè prudenter præfuit, quoadusque annis grauata, ac morbis confecta, viuendi finem fecit; cum iam paulo ante Imperatorem designasset *Michaelem* cognomento *Stratonicum*, imperassetque annum vnum & menses nouem.

*I. Contempto autem hoc *Michaele*, huius nominis *Sexto*, * *Isacius Comnenus*, præfectus Legionum salutatus est Impera-

Annus Christi	Imperij	Mens.	Dies.
975 die 4 Dec.	6		
965			
1025 in Dec.	50		
1028 die 9 Nou.			
1034 (11. Apr.	5	6	
1034			
1042			
042 die 11 Iunii.			
1045 in Dec.	12		
1054	1	9	
1306 mense Aug.			

Annus Christi	Imperij	Mens.	Dies.
1057 die 8 Iunij.			
1059	2	3	
1060			
1067 in Maio	7	6	
1067			
1071			
1017			
1077			
1081 die 15 Aug.	37	4	
1118			
1123			
1143 mense Apr.	24	8	

tor octauo Iunij. Qui tyrannicè Imperium inuadens, cum sacrilegè sibi bona vsurpasset monastica, diuinitus est punitus; Nam fulmine percussus sponte deposuit purpuram, vestemq; induit monasticā, cum annos imperasset duos ac menses tres.

Successit porro * *Constantinus*, huius nominis *duodecimus*, * XII. cognomine *Ducas*, Andronici Ducis filius, vir eximia in Deum pietate, Qui anno Imperij sui sexto, Christi vero millesimo sexagesimo quinto, cœlesti adiutus ope, sexcenta Scytharum millia intermisse legitur, obijt autē triennio pòst mense Maio, cū imperasset annos septē, & menses sex, tribus relictis filijs, ijsdemq; Imperatoribus, cū *Eudocia* coniuge, Imperij curatrice.

Eudocia alio accepto marito, * *Romano* scilicet *Diogene*, pas- * III. sa est eum Imperatorem acclamari, simulque rerum vnà secum potiri. Qui semel à Turcis deuictus ac demissus, cum Constantinopolim rediret, à *Michaele* huius nominis VII. *Ducæ*, scilicet filio, arreptus est & oculis priuatus, *Eudocia* verò in monasterium detrusa.

Successit * *Michael*, *Constantini Ducæ* filius, à fame quæ sub * V. eo inualuit, *parapinaceus* cognominatus; homo ignauus, & ad Imperium administrandum minimè idoneus. Quem anno Imperij quinto *Nicephorus Botoniates* in monasterium detrudens, ipsemet imperij habenas arripuit. Qui & ipse triennio *Alexius Comnenus.* pòst, Imperio deturbatus, in monasterium secedere coactus est; succedente interim *Alexio Comneno*, *Isaacii* Imperatoris: qui ingenti prælio superatus à *Roberto* Northmannorum Duce, petijt auxilium à Latinis aduersus Saracenos, & bullam auream de non auferendis Ecclesiæ ornamentis promulgauit, Cretam & Cyprum defectionem molientes, Romanum sub iugum redigit, obijt autem octauo decimo Kalend. Sept. postquā regnasset annos triginta septē, menses quatuor, & dies aliquot; *Ioanni* filio, reluctante in primis matre, Imperio relicto.

Calo Iohannes, *Alexii* filius, patri in Imperio succedens, vir fuit opulentus & victoriosus, nec omninò contēnendus Princeps: Varias siquidem expeditiones in Asiam habuit, & ingentes de Schytis Thrac ā inuadentibus, aliisq; Barbaris victoriam ope Dei genitricis *Mariæ* reportauit. Verum cum Latinis Antiochiā eripere pertentasset, & monitus à Romano Pontifice non acquiesceret, factum est vti post obitum duorum suorū filiorum, ipse quoque mense Aprili, propriæ sagittæ venenatæ vulnere, cum in venatione pharetra euersa caderet, sibi ipsi mortem imprudens intulerit, postquam regnasset annos viginti quatuor, & menses octo.

Post

Annus Christi	Imperij.	Mens.	Dies.

Post eius autem obitum, *Manuel*, siue *Emanuel*, ipsius filius,
patris iudicio cōprobatus, regendas sumpsit Imperii habenas:
Cui *Conradus* Romanorū Rex matrimonio iunxit sororem suā. 1143
Hic multa cōtra Venetos bella gessit. Cū autē manus iniecisset
in bona Ecclesiastica, postea id correxit, & bullam auream promulgauit,
qua concessit cunctis generatim Ecclesijs, vti immobilia
possidere possent, & pacificè sua retinere. Neque eo
contentus, post trigesimum septimum Principatus sui annum,
relicto Imperio ac mundo valedicto, vitam capessiuit mona- 1180 37
*II. sticam, in qua sexagenarius obiit.

Successorem autem accepit filium * *Alexium Comnenum*, 1180
annorum duodecim puerum, estq; commissa Imperii admini-
Andronicus. stratio *Andronico*: qui ipse regnandi cupidus præter Iurisiurādi
fidē pupillum hunc suum, quintum decimum duntaxat ætatis
annum agentem, strangulauit; & Imperiū sibi per nephas ven-
dicauit, omnē crudelitatem in *Alexii* amicos exercens, ipsiusq; 1183
vxorē *Agnetē* incœsto sibi matrimonio socians. Qui, quā hor-
rēdū in modū à populo, postquā biennio imperasset, diuexatus
ac laniatus sit, refert ad longū in eius vita *Nicetas*. Nā prælio vi-
ctus, & ad *Isaaciū angelū* adductus, asinæ præposterè impositus
est, & per vrbē contumeliæ causa circumuectus, altero interim
effosso oculo, manu abscissa, barba euulsa, sicq; tandē vncis &
harpagonibus frustulatim discerptis, vitā in tormētis finiuit. 2
*II. Post quem imperauit * *Isacius Angelus*, qui nō solum fœdus 1185 die 14
cum *Saladino* aduersus Latinos iniit, verum etiam *Frederico* Sept.
Imperatori contra *Saladinū* in terra sancta procedenti, ingēti 1185
impedimento fuit. Quem postea *Alexius* Angelus eius frater
in ordinem redigens oculisque priuans, in carcerem detrusit, 1195 9 8
cum imperasset annos nouem, & menses octo.

*III. Exoculato, & ex vulnere aliquāto post exstincto *Isacio*, impe- 1195
riū sibi vendicauit * *Alexius* eius nominis *Tertius*, homo scele-
leratissimus & impiissimus. Qui nō contētus quod maiori suo
fratri Imperiū per scelus ademerat, etiā nepotē suū *Alexiū* iu-
niorē, *Isacii* filiū, annos agentē duodecim, pari cruciatu perde-
re, aut capere (ni fuga salutē quæsiuisset) summo studio conatus
est. Verū ille francorum procerū auxilio sollicitato, confœde-
ratis etiam venetis, Constantinopoli ferro flāmaq; expugnata,
Alexioq; in fugā compulso, Imperio restituitur, & post patris
mortem francorū Venetorumque armis Imperator salutatur. 1204 6
qui postmodum à *Myrtillo* quodam ignobili homine, seu po- die
tius insigni Tyranno vita simul ac Imperio priuatus est. 26

Alexius senior fugatur, & Iunior Imperio præficitur 1203.

Occu- Jann.

Annus Christi	Imperij.	Mens.	Dies.
1204 *die* 16 *Maii*			
1205 *mense Aug.*			
1216	11		
1216			
1218	2		
1229	9		
1229			
1259	30		
1283	23		
1332 *die* 12 *Febr.*			

Balduinus primus.

Occupata à Latinis Constantinopoli, & strangulato à *Myrtillo Alexio* iuniore, consensu Principum, *Balduinus* Flandriæ Comes, electus est Imperator Constantinopolitanus, & decima sexta die Maii coronatus. Qui breui Græciæ & Macedoniæ ciuitates accepit. Verum vix anno circumacto cum cuncta præter Adrianopolim recepisset & *Andreanopolim* obsideret, à Bulgaris captus est, & in carcere interemptus, fratrem *Henricum* successorem relinquens: qui regnauit annis decem: & cum Bulgaris pacem firmauit, accepta in vxorem Ducis eorum filia; mortuus est autem anno inchoati Imperii vndecimo, Christi vero 1216.

Henricus Flander.

Petrus Altisiodorensis.

Suffectus est eius gener *Petrus*, Comes Altisiodorensis, qui cum coniuge Romam profectus, à Pontifice *Honorio* insignia Imperialia accepit; sed cum Dyrachium in reditu obsideret, fraude *Theodori Lascaris*, hominis Græci circumuentus est, & ab eo interẽptus, ipsiusque vxor *Iohanna* biennio imperauit, donec *Robertus* filius ex Galliis accerseretur: quo Constantinopolim veniente, ac de Procerum consensu Imperium suscipiente, Venetisque magnoperè fauentibus, contigit vti ducem eorum *Marinum* Michaelem Prætorem Constantinopolitanum, imperii consortem appellaret, obiitque *Robertus* imperii sui anno nono, relicto *Balduino* puero, regni hærede.

Iohanna Imperauit biennio.

Robertus.

*II.

Qui * *Balduinus* patri in Imperio succedens, vxorem postmodum accepit *Iohannis* Brenni Regis Hierosolymitani filiam *Martham*, socero interim Imperium administrante. Quo vita functo, solus rerum potitus difficili bellorum onere grauatus est. Nam anno Domini 1259. cum *Michael Palæologus* Constantinopolim, noctu per proditores patefacto introitu recuperasset, *Balduinus* rapta suppellectili, ad Euripium se furtim proripuit, profugusque naui in Eubœam contendit; postquam Imperium vna cum *Iohanne* socero annis admodum triginta administrasset, fuitque hic vltimus Latinorum Imperator, qui in Oriente imperauit.

*VI.

† I.

Successit * *Michael Palæologus*, qui annõ Imperii sui vigesimo tertio obiit, relicto imperio filio suo * *Andronico* Palæologo, qui *Michaelem* fratrem suum Imperii consortem fecit. Quo mox defuncto, *Constantinum* iuniorem *Despotam* ad Imperii fastigium euexit; qui mortuus est cum imperasset annis plus quam quadraginta octo, anno ætatis septuagesimo quarto.

Succes-

Anno Christi	Imperij	Mensis	Dies.
1332			
1341 in Iulio.			
*1356.			
1445	24		
1445			
1453			

*II. Successorem autem habuit * *Andronicum* Iuniorem, *Michaelis* Imperatoris filium, qui anno Imperij sui septimo obijt mense Iulio.

Designatus deinde ad Imperium *Iohannes palæologus*, octo annorum puer, tutorem accepit Iohannem *Cantacuzenum.* Qui sibi Imperium assumens, pupillo filiam vnam dedit, alteram Turcarum principi *Orchani.* Sed cum socer & gener vnâ in domo viuerent, in discordiam inciderunt, prorsus vt domi forisq; alter alteri se ostenderet.* Et *Cantacuzenus* quidem regno se abdicans, monasticen amplexus est; *Iohannes* autem postquam fortiter multa administrasset, moriens filio *Manueli* Imperium reliquit. Qui sine magnis & præclaris gestis mortuus, *Iohanni* filiorum maximo Imperium administrandum commendauit.

Manuel II. Imperator obijt 1421.

*VII. *Iohannes* * verò pacis, quam belli auidior, cum vicinis Principibus concordiam inijt, & ab *Eugenio* Pontifice ad Concilium Florentinum inuitatus, insigni cum Græcorum nobilium comitatu, eidem anno 1438. interfuit obijtque anno Domini millesimo quadringentesimo quadragesimo quinto cum imperasset annis viginti quatuor.

Successit verò frater eius *Constantinus Palæologus Draconis* cognomento nominatus. Qui diuersis quidem prælijs cum Turcis congressus, eos fugit fugauitque, sed tamen postea meticulosior, pristinæque virtutis immemor factus, tributum eisdem persoluere debuit. Quo nequaquam contentus *Mahometus*, ipsam Vrbem Constantinopolitanam obsidens, ac muralibus machinis quatiens, quarto & quinquagesimo obsidionis die eam cœpit, ac stragem in ea ingentem edidit; *Constantino* fugam quidem parante, sed in portæ Angustiis corruente & expirante. Cuius cadauer ex paludamento agnitum, *Mohometus* iussu capite truncatum est, ac ludibrij causa palo defixum, per vrbem & castra circumgestatum: sicque *Constantinopoli* capta, cessauit cum *Constantino* Græcorum in Oriente, regnantium imperium.

Anno Christi	Imperii	Mensi.	Dies.
a 768			
b 770			
c 772 & 772 & 779 & nouissime 782			
d 773			
e 778			
f 800			
g 813			
814 die 28 Ianu.	14		

80. CAROLVS MAGNVS.

ENARRATIS iam obiter Græcorum, qui in Oriente vixerunt Imperatoribus, de via postliminio in semitam redeundum, & ad *Carolum* verè *Magnũ*, in quem à Græcis per *Leonem* Pontificem eius nominis *Tertium*, translatum est imperium transeundum.

Natus est autem *Carolus Pipino* Francorum, & *Bertha* filia *Heraclii* Constantinopolitani Cæsaris filio, in villa *Ingelheim*, duobus passuum millibus Moguntiaco distante. *a* Qui defuncto patre successit in regno, gubernans Occidentalem Galliam cum Burgundia & Aquitania: duxitque matre perurgente vxorem *b Bertham, Desiderii* Longobardorum Regis filiam, quam tamen postea repudiauit. Contra Saxones pugnans, eos *c* aliquoties vicit ac deuicit. *d Desiderium* Longobardorum Regem, Romanam Ecclesiam infestantem, non vicit solum, sed & in Gallias captum abduxit. *e Nauarram* quoque & partem Hispaniæ à Saracenis vindicauit. Romam porrò anno Christi octingentesimo veniens, à *Leone* Papa, ipsa Dominici Natalis solennitate, in Romanorum Imperatorem insigni cũ solennitate coronatus est, Senatu ac populo vniuerso, ternâ vice acclamante, *f Carolo Pijssimo Augusto. à Deo Coronato, Magno, Pacifico, Imperatori Romanorum, vita & victoria*, & mox sacro delibutus oleo, iuramento fidelitatis se obstrinxit, *defensorem se de cætero Romanæ Ecclesiæ futurum.* Cui & Saxoniam & Gallias vectigales fecit. Quam & filiis similiter suis defendendam commendauit; & *g Ludouicum* filium ex *Hildegarde* vxore natum, ante obitum Imperatorem creauit. Concilia in diuersis Galliarum locis per Episcopos celebrauit, ac tandem in palatio suo Aquisgranensi pleuritide laborans, septimo infirmitatis die, qui fuit quintus ante Calend. Februarij, susceptis deuotè Ecclesiæ sacramentis, fœliciter ad Dominum migrauit; anno videlicet ætatis suæ septuagesimo secundo, Regni autem Francorum post obitum patris *Pipini*, quadragesimo septimo, Imperii vero decimo quarto inchoato. Princeps verè *Magnus*, qui rem Christianam armis dilatauit, Ecclesiis ornauit, fidem propagauit, tantumque non his optimarum virtutum studiis sanctus euasit: sepultus Aquisgrani perquam honorifice in eadem illa Deiparæ virginis æde, quam ipse illic olim regio splendore erexerat.

81. Lv-

Annus Christi	Imperij	Mens.	Dies.

81. LVDOVICVS PIVS IV.

POst obitum *Caroli* filius eius, ob insignem pietatem dictus 814
cognomento *Pius*, Imperator à patre iam ante pronuntia-
tus, ex Aquitania vbi erat Aquisgranum veniens, à regni Pro-
ceribus ibidem Imperator salutatus est. Vbi diuersarum na-
tionum primò Legatos audiuit, partimq; pacem cum iis san-
xit, partim cum aliis veterem instaurauit. h Bellum dein *Da-* h 817
cicum ex sententia confecit, nec multò post *Bernardum* ex Pi-
pino filio nepotem, in Italia res nouas molientem, capitali pæ-
na affecit, Coronatus & vnctus Romæ à *Stephano* Papa *quinto*,
anno octingentesimo sexto decimo. Et aliquanto *i* post Lega- i 824
tos pro pace à *Michaele Balbo* orientis Imperatore misso ex- k 838
cepit *k* regnumque inter filios diuisit, commendans illis sedu- l 836
lò Romanæ Ecclesiæ aliarumque defensionem. *l* Tum quo- n 839
que irrumpentes *m Britones* repulit. & *n Aquitanos* compescuit, o 839
Quin & rebellantē filium suum *o Ludouicum* ad deditionem
compulit. Tandem verò distributis thesauris Ecclesiæ paupe-
ribus cum filium suum bello in Germaniam vsque prosequè-
retur, & ægritudine in itinere apprehenderetur, secessit in in-
sulam quandam ciuitati Moguntino vicinam, vbi pientissime
ad Dominum migrauit duodecimo Calend. Iulii, anno ætatis 840 27
sexagesimo quarto, Imperii vigesimo septimo, translatus de die 12
inde *Metas* Mediomatricum, ibidemq; in Ecclesia monasterii Iunii.
S. *Arnulphi* in monumento *Hildegardis* matris suæ tumulatus.

82. LOTHARIVS I.

CVi successit in Imperio *Lotharius*, filiorum natu maximus; 840
qui Monarchiæ cupidus, actutum aduersus fratres bella
mouere cœpit: à quibus prælio victus, ac regno pullus est. Sed
aliquanto post restitutus, relicto Imperio, ac regno filiis diui-
so, *Prumiacense* monasterium est ingressus, in quo religiosè
religiosus quarto Calend. Octobris spiritum Deo reddidit, an- 855 15 3 3
no Imperii quinto decimo, & quod excedit. die
28
Sept.

83. LVDOVICVS II.

EIus filius *Ludouicus Secundus*, ex *Hermingarde* vxore pri- 855
mogenitus, a patre consors ad Imperium accitus. *p* Romæ p 844
à *Sergio* Pontifice coronatus est, viuente adhuc parente. Hic
contra, *q Sarracenos* ex Africa venientes, & *Beneuentum* q 866

Annus Christi	Impe-rij	Mens.	Dies.
r 869			
875 in Aug.	20		
875			
ſ 875			
877 die 6. Octo.	36	2	
877			
879 die 10 Apr.		2	

aggredientes, vniuerſamque penè regionem illam cædibus, incendijs, rapiniſque depopulantes, fratre *Lothario* in auxilium vocato, fortiter fœliciterq; pugnauit; cumque ipſo r poſtmodum *Baſilio*, orientis Imperatore, de Imperatoris nomine diſceptauit. Compoſitis verò ordinatiſque rebus ſuis, anno inchoati Imperii ſui vigeſimo Mediolani menſe Martio exſtinctus eſt, & in Baſilica *Ambroſiana* ſepultus.

83. Carolvs Calvvs.

Carolvs cognomento Calvvs, *Ludouici Pii* Imperatoris ex *Iuditha* altera vxore filius, ac *Ludouici* Secundi Imperatoris patruus, cum iam annis triginta plus minus ſex regnum Occidentalis Franciæ tenuiſſet, ac cum Britonibus Normanniſque vario Marte dimicaſſet, de morte *Ludouici* certior factus, omni qua potuit feſtinatione, ſuperatis alpium difficultatibus, Romam contendit, & à ſ *Iohanne* Pontifice coronam Imperii accepit. à quo dum anno Imperij ſui ſecundo rogaretur ſopiendarum difficultatum quarundam cauſa in Italiam iteratò venire, morem quidem roganti geſſit: ſed Mantuæ curis confectus nonnihil quieſcens, ibidem pridie Nonas octob. veneno à *Sedechia* quodam Iudæo intoxicatus, vitam ibidem finiuit, ſepultus Vercellis in eccleſia S. Euſebii poſtquam regnaſſet annos 36. imperaſſet verò biennium.

84. Lvdovicvs *Balbus III.*

Svccessit *Ludouicus* eius nominis *Tertius Caroli* Calui ex *Hermentrude* filius, qui, quòd impeditioris ac tardioris linguæ eſſet, *Balbus* cognominatus eſt. Vir ſimplex ac manſuetus, paciſque ac pietatis perquam ſtudioſus, & ferè ſemper valetudinarius, ita vt vix biennio Imperium tenuerit. Nam *Compendii* decumbens, quarto Idus Aprilis ibidem exſpirauit: relinquens poſt ſe filios duos ex *Angarda* priore coniuge, *Ludouicum* videlicet & *Carolomannum*; ex poſteriori vero *Adelaide* genuit *Carolum* poſthumum, cognomento *ſimplicem*.

Vacauit al quamdiu Imperium Occidentis; nec qui poſtea Imperio ſucceßit Carolus Craſſus, *annos Imperii numerat, niſi a coronatione; in quo Principe translatum eſt Imperium à Francis Occidentalibus, ad Orientales Francos.* Bienny interregnum.

Annus Christi | Imperij | Mens. | Dies.

85. Carolvs III.

OB frequentes tum Saracenorum deprædationes , tum 881
Principum Christianorum Discensiones , contigit vti die 24
Carolus Tertius, cognomento *Crassus*, postquam Italiam à Sa- Decē.
racenis grauiter vexatam, liberasset, Romam veniret, & apud
Iohannem Pontificem gratiam inueniret; à quo ibidem impe-
riali corona donatus est ipso Dominico natali; vnde ab illo die
cœptus est Imperij illius tempus à nōnullis Scriptoribus nu-
merari; idque maiorum exemplo , quo non ab obitu præde-
cessoris *Imperatoris* anni successoris numerarentur, sed à crea-
tione ac coronatione per Romanum Pontificem facta. Hic
pugnaturis aduersus *t* Northmannos Galliam deuastantes, t 882
prodigijs impeditus fuit, ne manus consereret; vnde pacem
potius inire studuit, adsignando ijs certum in Francia com-
morandi locum, à nouis incolis *Normanniam* deinde nuncu-
patum. Cæterum cùm *Richardam* Augustam coniugem suam,
sinistris vexatus suspitionibus , contra ius fasque repudiasset,
diuina illum prosequente vindictu, etiam à suis repudiari ac
contemptui haberi cœptus est: tradito eius regno *Arnulpho*,
Carolomanni filio, ipso interim Xinedia periclitante , atque
in *Augeo* maiori monasterio prope Constantiam in mœrore 887 7
animi contabescente, mense circiter Ianuario , anno imperij
septimo.

86. Arnvlphvs.

REPVDIATO, vt dictum est *Carolo Crasso*, datus est regno
curator *Arnulphus*, *Carolomanni* filius; quem aliqui mor-
tuo iam *Carolo* ad Imperium promouere conati sunt, licet ille
se Franciæ duntaxat Regem nuncuparet. Quippe quando 887
Procerum pars magna *Odonem* Comitem Parisiensem, & tu-
torem Caroli Simplicis regnare cupiuit, hincque inter illos
orta sit contentio. *Arnulphus* porro laturus opem *Formoso* Pō-
tifici contra iniuriatores suos, veniens in Italiam, & eo conni-
uente Romam armis capiens, istic Imperiali corona insigni-
tus est. Qui scribitur Pharmaco quodam dementatus peculia- 899 6
ri tandem morbo expirasse tertio Kalend. Decemb. aliqui ve- die 7 12
rò dicunt *Arnulphum* imperasse annis duodecim, computan- Decb.
do etiam quinquennium *Lamberti* imperantis.

Annus Christi | Imperij | Mensis | Dies.

87. WIDO ET LAMBERTVS

DISSENTIVNT hîc nonnihil *Chronographi*, quis horum vel
primus vel legitimus Imperator exstiterit. Nam viuente
910 15 adhuc *Arnulpho*, dicitur etiam *Lambertus* à Pontifice vnctus
ac coronatus fuisse, qui occisus est in venatione ab *Hugone*
Comite Mediolanensi, cùm imperasset in Italia annis quinde-
cim plus minus.

VVido verò seri *Guido*, Dux Spoletanus, nec non & *Be-*
888 *rengarius* Dux *Foroiuliensis* Anno Domini octingentesimo
octogesimo octauo communi cõsilio Imperii habenas inuase-
runt; hic quidem in Italia, alter verò in Francia. Sed *Guido* spe
Galliæ *Odonis* armis deiectus, regnum Italiæ contra *Berenga-
rium*, fauentibus Romanis, occupauit, illudque tribus prope-
modum annis obtinuit, obijtque anno octingentesimo no-
894 3 nagesimo quarto.

Berengarius autem à Veronensibus suis occisus est dolo
924 9 *Flamberti* cuiusdam anno nongentesimo vigesimo quarto;
qui & ipse Imperator creatus fuit, & annis circiter nouem im-
perauit post *Lambertum*.

88. LVDOWICVS IV.

CVM obijsset *Arnulphus* Imperator anno 899. substitue-
899 runt Imperij Principes eius filium *Ludovvicum quartum*,
septem annorũ puerũ, adsignato ei tutore *Othone* Saxonię Du-
ce. Qui quidẽ *Ludovvicus* anno Imperij sui duodecimo mor-
12 tuus est Ratisbonæ duodec. Kalend. Februarij, sepultus ibi-
12 die 21 Iun. dem cum patre suo in Cœnobio Diui *Emmerani*, finemq; ac-
cepit progenies Caroli Magni.

89. CONRADVS I.

CVM *Carolum Simplicem* implicitum haberent bella Nor-
912 mannica, Germaniæ Proceres in Imperatorem delege-
v 916 runt *Conradum*, filium *Conradi* Comitis Franconię, virum rei
bellicæ peritia, atque animi præstantia claru m: qui licet infœli-
x 917 citer *u* pugnauerit contra *Henricum* Saxoniæ Ducem, Otho-
nis defuncti filium, attamen *x* Bauariam totam à se occupa-
tam, fratri suo *Ebrardo* concessit, pulso *Arnoldo* Duce, *y* mor-
y 919 tuusque est anno imperij octauo.

90. HEN-

Annus Christi | Imperij | Mens. | Dies.

90. HENRICVS I.

919
SVPREMVM adesse vitæ diem persentiscens *Conradus*, con-
uocatis Germanorum Proceribus, vti *Henricus Othonis*
Saxonum Ducis filius, cuius ipse beneficio ad Imperium per-
uenerat, Augustus crearetur author exstitit. Simul etiam re-
galia ornamenta, coronam, sceptrum aureum in medium fer-
ri, atque *Henrico* tradi iussit, proceribus adstipulantibus ac ra-
tum id habentibus. Cui quidem quod venationi & aucupio
impense deditus esset, *Aucupis* nomen perpetuum adhæsit.
Princeps fuit prudentissimus, pientissimus, modestissimus.
Qui insigni victoria z contra *Hungaros*, Germaniam inuaden-
tes, potitus, eosdem strauit, ac fugæ dare terga coegit, *Sclauos* z 921
ac *Dalmatas* debellauit, & à Burgundionum rege Rodulpho
a Lanceam ex Christi clauis confectam, quæ dicebatur fuisse a 928
Constantini Magni Imperatoris, quà minis quà precibus impe-
trauit, eamque ad insigne & tutamen Imperij posteris adsig- 936 die 2 Iulij. 17
nauit. Cessauit autem viuere anno imperij vel regni sui sep
timo decimo, mense Iulio, decus planè religionis Chri-
stianæ.

91. OTHO, COGNOMENTO MAGNVS I.

RELIQVIT *Henricus* Imperium filio suo *Othoni*, pietate ac
fortitudine militari sibi haud impari, si non superiori. 939
Qui non frustra cognomen *Magni* apud omnes tam suæ tem-
pestatis proceres quàm posteros promeruit. Quippe qui lon-
gè lateque imperium ad exteras nationes propagauit. Nam *b* b 950
vocatus in Italiam, tyrannos profligauit, de Hungaris *c* victo- c 955
riam reportauit, peste infectus S. *Viti* Martyris interuentu, sani-
tatem recuperauit, *d* Hungarorum ac Turcarum reges prœlio d 955
superatos, & in crucem actos, laqueo enecauit; à Iohanne Pa- & 958
pa *e* coronationem Romæ impetrauit, plurimaque alia omni
commendatione digna designauit. Quin & filium suum *Otho-* e 962
nem ante obitum Cæsarem creauit, tandemque annorum si-
mul ac virtutum plenus, ipsis nonis Maij, anno regni sui trige- 973 die 7 maii.
simo septimo, Imperij verò vndecimo, fœlicissimè ad Domi-
num migrauit.

Annus Christi | Imperij | Mens. | Dies.

92. Otho Secvndvs.

967 die 24 Decẽ. | | 3 |
HIc operâ patris adhuc viuentis Romæ coronatus est anno nongentesimo sexagesimo septimo, ipso die natalis Domini, duxitque in vxorem *Theophaniam*, Nicepori Imperatoris Constantinopolitani filiam; victus est autem ingēti prę-
f 983
lio ad *Bassentellam*, Calabriæ oppidum à *f* Græcis & Saracenis, natandoque nitens euadere, captus est à nautis; sed haud cognitus, ab vxore redemptus est. Quos tamen anno sequente, collecto in vnum exercitu ac bello redintegrato, deuicisse ac domuisse legitur. Cæterum ex Oriente in Italiam rediens, Romæ morbo extinctus est * octauo Idus Decemb. ibidemque * al. septimo Idus.
983 die 6. Decẽ. | II
in vestibulo Basilicæ Vaticanæ sepultus, imperij sui anno vndecimo.

93. Otho Tertivs.

ANTE obitum suum habuit *Otho* secundus tertiò comitia Veronæ, de eligendo Rege filio suo *Othone tertio*, quem
983
parenti post obitum in regno potius quàm in Imperio successisse memorant; quippe quando *Reges* Germaniæ duntaxat tā diu notantur, quoadusque à Pontifice Romano vncti & coronati essent. Consecutus est autem *Otho* Tertius Romæ à *Gre-*
996
gorio eius nominis *quinto*, coronam Imperialem anno Domini nongentesimo nonagesimo sexto, & varias peregrinationes
g 999
pietatis ergo obiuit. Nam deuotionis studio in Poloniam *g* ad visendum corpus S. *Adelberti* Martyris miraculis clari, pro-
h 1000
fectus est; atque etiam in *h* Apuliam ad S. *Michaelem* in monte Gorgano, reliquiasque S. *Bartholomei* Apost. aliorumque Sanctorum Romam detulit. Tandem verò pulsis Saracenis Capuam occupātibus, obiit sine liberis apud *Paternum* quin-
1002 die 28 Ianu. | 18 | 6
to Kalend. Febr. misso (vt scribitur) per insidias à veneno *Crescentii* vxore, eoque interempto, anno regni octauo decimo, imperii verò sexto; ab ipsa nimirū coronatione computādo: sicque præfati tres *Othones*, immediate sibi in Imperio successerunt, iuxta triuialem hunc versiculum.

1 Otho post 2 Otho, regnauit Tertius Otho.

94. Henricvs Secvndvs.

1002 die 11 Iunii
SVCCESSOR in Germania à Principibus electus est *Henricus*, Dux Bauariæ, Comes Bambergensis, dictus *Claudus*,
Mo-

Annus Christi | Imperij | Mens. | Dies.

Moguntiæ quidem à *Viligeſo* Archiepiſcopo 3. Idus Iunij conſecratus, ſed Romæ non niſi anno Chriſti milleſimo decimo quarto à *Benedicto* Papa coronatus. Vir & bello ſtrenuus & animo pius. Qui Poloniæ Ducem debellauit, & erga Cluniacenſe monaſterium valde ſe liberalem præſtitit; in *i* Synodo *i* 1006
porro Francofurti exiſtens, non niſi humi proſtratus Epiſcopos allocutus eſt. Romanæ quoque Eccleſiæ donationes & priuilegia confirmauit, eidemque *Bambergam* ciuitatem recens à ſe ędificatam, donauit, *k* Græcos Italiam inuadentes ex- *k* 1022
pulit, Lotharinghiam & Flandriam deuicit, *Caſsinum* inuiſens, Benedictinæ ſe familiæ monachus addicere voluit, cum *Chunegũde* vxore in perpetua virginitate, raro huius æui exemplo, vixit, quemadmodum elegantibus hiſce verſibus Poetarum non nemo cecinit.

Rarius in terris Phaethon non vidit & aſtris,
Condita poſt mundi mœnia coniugium.
Virgo ſimul vixit cum Cæſare Cæſaris *vxor,*
Inque thoro abſque thoro, cumque viro abſque viro.

Cæterum ipſum *Henricum* ſucceſſorem ſibi deſignaſſe 1025 die 13 22
Conradum Scriptores affirmant; obijſſe autem tertio Idus Iu- *Iulij.* 10
lij, & Bambergæ ſepultum anno regni ſui vigeſimo ſecundo, Imperij verò decimo.

95. CONRADVS SECVNDVS.

HENRICVS morti propinquus, vti *Chunigundem* vxorem 1024
parentibus virginem adſignauit, ita & regni Proceribus *Conradum*, *Hermanni* Ducis Francorum, & Lotharinghiæ *Adelheidis* filium, in ſucceſſorem eligendum commendauit. Cuius tamen electio difficultate haud quaquam caruit, eò quod Electores inter ſe diſſidebant. Quem poſtmodum Pontifex *Iohannes l* in Italiam venientem, coronâ Imperiali do- *l* 1027
nauit, & Orbis Chriſtianus plurimum ob res benè geſtas adamauit. Nam *m Burgundiam* ſibi à ſocero relictam, armis vin- *m* 1034
dicauit; *n Mediolanenſes* rebellionem excitantes puniendo *n* 1036
compeſcuit; *o* Ducem *Beneuentanum* tyrannidem exercentem, *o* 1038
in ordinem redegit; tandemque Nonis Iunij, ipſa Pentecoſtes 1039 19
die tertia apud Traiectum Friſiæ inopinatâ morte vitam fini- die 5. 13
uit, anno regni ſui nono decimo, Imperij verò tertio de- *Iunii*
cimo.

Annus Christi | Imperij | Mensi | Dies

98. Henricvs Tertivs.

1039 FVit hic *Conradi* Imperatoris ex *Gosila* nobilissimi stem-
matis matrona, filius; & viuo patre consors Imperij adsci-
tus, ac Romanorum rex ab Electoribus, designatus. Prin-
p1047 ceps modis omnibus humanus, natura facetus, hilaris & lar-
gus. Qui *p* Romam se conferens vna cum *Agnete* filia Wil-
helmi Comitis Pictauiens. à *Clemente* II. Imperator corona-
q1052 tus est, & multas terras cum *Leone* Papa permutauit, cui & suo
cum exercitu contra *q* Northmannorum insolentiam, sup-
petias tulit; solitus sæpè numero in seipsum, carnis edo-
mandæ studio, flagellis desæuire. Qui tandem tertio nonas
1056 16 Octob. anno ætatis suæ trigesimo nono, in præsentia *Victo-*
die 5. 10 *ris* II. Pontificis, quem in Germaniam inuitauerat, obiit: regni
Octo. sui anno decimo septimo, Imperij decimo.

99. Henricvs Qvartvs.

CVm *Henricus* Tertius paulo ante obitum, filium suum
1056 itidem *Henricum* nominatum, præfati Pontificis, cæ-
terorumque Præsulum ac Principum electione Regem con-
stituisset, isque tunc septennis duntaxat puer existeret, ma-
ter eius *Agnes*, filii nomine aliquãdiu res Imperii administran-
das suscepit. Ille verò paulatim in vitæ libertate succrescens,
venatui luxuique operam dare, aliorumque contra se Prin-
cipum odium concitare, nec non & cum vxore sua *Berta*,
(hanc etenim repudiare moliebatur) dissidium fouere. Con-
tra quem non solum Romanæ Sedis Antistites excommu-
nicationis fulmen identidem pronuntiarunt, verum etiam
Saxones arma mouerunt. Ipsi quoque Germaniæ Pro-
ceres, tam enormis vitæ hominem, ab Imperij admini-
stratione amouerunt, & *Rudulphum* Sueuorum Ducem
in locum eius substituere deliberauerunt. Cæterum ille
cum omnibus modis in Romanam Ecclesiam ac Pontificem
desæuiret, ipsamque adeo Vrbem suæ potestatis faceret,
diuina perurgente vindicta, tandem (vtpote qui per
tot annos Romanum Pontificem legitimum persecutus
est patrem) filium suum itidem nominatum *Henricum*, ab

Im-

Annus Christi | Imperij | Mens. | Dies.

Imperio passus est depulsorem. Vnde in Moguntino Principum conuentu, præsentibus Summi Pontificis Legatis, abdicatus est *Henricus*, & insignia Imperii ipsi detracta, tra- 1105
dita impositaque sunt filio. Contra quem idcirco bellum fouens ac succumbens, fuga elapsus primùm *Coloniam*, inde *Leodium* peruenit, vbi in excommunicatione perseuerans, 1106 50
vitam finiuit, anno regni sui quinquagesimo, Imperij vero vi- 23
gesimo tertio.

100. Henricvs Qvintvs.

Filivs igitur viuente adhuc parente, Germanorum iussu E- 1106
lectorum, Imperium consecutus, *Henricus* videlicet eius nominis *Sextus*, Romam aliquanto pòst pro imperiali obtinenda consecratione, accelerans, ac tumultibus omnia per- 1111
fuiscens, *Paschalem* Papam captiuum abduxit, multaque alia in Clerum ac Prælatorum inuestituras sacrilegè sibi vendicauit; propter quæ ipse quoque, vti & olim pater, excommunicari meruit. Nec hoc solum; verum etiam alios sibi repugnantes Principes est expertus; fugatus nimirum à *r* North- r 1119
mannis, & in Germania à Catholicis vsque adeo exagitatus,
*s*vt firmam promittere pacem Ecclesiæ sit compulsus. Ag- s 1121
gressus porro armis Galliarum regnum, *t* à *Ludovvico* malè t 1125
est exceptus, & suo cum damno in Germaniam remeare coactus. Cæterum *Vltraiecti* in Frisia dum ageret, ingrauescente dracunculi morbo, ibidem sine virili stirpe, duodecimo Ka- 19
lend. Iunias decessit, anno regni nono decimo, Imperii deci- 1125 15
mo quinto: sicque iusto Dei iudicio deficiens Occidentale *die 21*
Imperium à Germanis ad Saxones est translatum. *maii.*

101 Lotharivs III.

Electores post mensem tertium euolutum conuenien- 1125
tes, elegerunt *Lotharium* Saxonum Ducem, virum prudentem ac bellicæ rei gnarum; qui *v* non longè pòst conciliatis si- v 1126
bi Bohemiæ ac Bauariæ Ducibus, vrbes aliquot Imperii postliminio recuperauit, & *Henrici* Imperatoris progeniem varijs x 1132
modis exagitauit, coronatus Romæ ab *x Innocentio* Papa: quē y 1133
à Romanis *y* postea pulsum, in Sedem suam restituit, eique ceu legitimo Pontifici, schismatis tempore fœliciter adhæsit,

 z Ro-

Annus Christi	Imperii	Mens.	Dies
z 1137			
1138 die 3 Dec.	13 / 7		
1139 in Aprili.			
a 1146			
b 1152			
1152 die 15 Feb.	13		
1152			
c 1155			
d 1156			

z *Rogerium* porro Siciliæ Regem, Romanæ Ecclesiæ aduersantem, insigniter compressit, capto Beneuento, ac demum Apulia. Qui dum reditum in Germaniam pararet, apud *clusam* Liguriæ (sic enim ait Petrus Cossinensis) vel vt Otho Frisingensis habet, apud Tridentum morbo correptus, tertio nonarum Decembris expirauit: cum regnasset annis circiter tredecim, imperasset autem septem. Cuius corpus aliqui volunt delatum esse Moguntiam in Germaniam, alij verò in Saxoniam. Fuit autem interregnum mensibus quatuor.

102. Conradvs Tertivs.

MENSE Aprili successor Imperii apud Confluentiam, à Germaniæ Proceribus, præsentibus *Innocentii* Papę Legatis, electus est *Conradus* Franconiæ Dux, *Henrici* Imperatoris sororius. Qui contra *Henricum* Bauariæ & Saxoniæ Ducem, regnum summis viribus eò quod Lotharii generesset, affectantem, bella gessit, proque Romano Pontifice aduersus rebelles Romanos fortiter stetit. Quin & pro terræ sanctæ recuperatione *a* crucem accepit. Verum in Orientem profectus, magnam ibidem exercitus sui iacturam fecit. Fœdus etiam amicitiæ iniit cum *b Manuele* Græcorum Imperatore, aduersus *Rogerium* Siciliæ Regem; ac tandem dum expeditionem parat in Italiam, ad motus Italicos comprimendos, & coronam Imperii capessendam, non sine veneni suspicione, *Rogerii* fraude à medico administrati, decimo quinto Kalend. Martii extinctus est, postquam regnasset annis tredecim.

103. Fredericvs * Primvs.

* *Barbarossa.*

CONRADVS ante obitum insignia regia tradidit non quidem *Frederico* filio suo adhuc puero, sed *Frederico* fratris filio, ex *Juditha*, & Sueuorum Duce *Frederico* progenito. Quem post aliquot dierum interuallum Principes Imperij Francofurtum venientes, electionis calculo tanquam Imperio idoneum, comprobarunt. Istque *c* Romæ ab *Hadriano* Pontifice coronatus. Quando in Italia existens, Mediolanensium insolētiam compressit. Peste autem in exercitu eius regnante, cum in Germaniā rediret, repudiata apud *d Constantiā* priore vxore sua *Adila*, eo quod cognata sua esset, secundam

ac-

Annus Christi | Imperij. | Mensis | Dies.

accepit *Beatricē*, & cū ea dotis nomine Burgundiam ferè totā,
quę est *Ararim* inter & *Rhenū*, Cæterū etsi prospera ei cuncta
cesserunt, quam diu de Romana Ecclesia benè est meritus, ta- 1143
men quando nouis præsumptionibus Pontificē & vniuersam
Rempub. Christianam offendere cœpit, res illius in deterius
prolapsæ sunt. Fouit enim plurimum *Octauianum* Antipapam,
conatus insuper etiam alios Principes secum in schismatis *e* 1160
charybdim præcipites trahere; vnde *e* ab *Alexandro* excom-
municatus est. Tum quoque exercitum ducens *f* in Venetos *f* 116
& Longobardos, fœdere aduersus eum sociatos, re infecta fu-
gam adornare debuit. Exercitum quoque infectum in *g* Ita- *g* 1167
liam contra *Alexandrum* Pontificem ducens, Vrbem obside-
re cœpit, ac Romanos dolo circūuenire, sed inde etiam sæuis-
sima diuinitus in exercitum pestilentia immissa, discedere co- *h* 1167
gitur. Desæuiens porro vlterius, ignominiosè vincitur *h* fuga-
turq; ex Italia à Longobardis fœderatis, ita vt mentito habitu *i* 1188
in Germaniam redire debuerit. *i* Expeditionem autem Hie-
rosolymitanam suscipiens, & in Ciliciam progrediens, poten-
tissimas aliquot vrbes inuasit, & *k* Saracenos Turcasque pro- *k* 1190
strauit. At verò cum in Armenia ob æstum mitigandum sudo-
risque abluendi gratia, amnem ingressus esset, in vndis tertio
Idus Iunii miserè est exstinctus, postquam regnasset annis 1190 38
triginta octo post coronationem vero suam anno vigesimo *die* 10 26
sexto. *Iunii.*

104. HENRICVS SEXTVS.

HENRICVS *Sextus*, Frederici *Barbarossæ* Imperatoris & *Bea-* 1191 *die* 15 *Maii*
tricis filius, patre adhuc viuente Romanorum rex desig-
natus, ac consensu Germanorum Principum Aquisgrani co-
ronâ insignitus, facundus fuit ac sapiens Princeps, quem vna
cum vxore *Constantia*, Gulielmi Siciliæ Regis filia, Romam
venientem, coronauit & vnxit ibidem *Cælestinus* Papa decimo
septimo Calend Maij, feria Paschatis secunda, cum ipse pridie *l* 1191
Pontifex consecratus esset. Eodem porro illo *l* anno cum *Ne-*
apolim obsideret, re infecta, eò quod lues vehemens in exer-
citu desæuiret, domum redijt, *Constantia* autem Augusta cap- *m* 1192
ta, in Siciliam ducta est ad *Tancredum* Regem sed *m* anno se- *n* 1194
quente liberata; ac *Henrico* marito reddita. *n* Qui ducto in Ita-
liam exercitu, & *Genua* soluens, *Caietam* ac *Neapolim* dedi-
tione accepit. Mox in Siciliam traijciens, Regno potitur,

Anno Christi	Imperij	Mens.	Dies.
o 1195			
p 1195			
q 1196			
r 1197			
1197 die 28 Sept.	7		
1191			
1207			
1208			

o Sibyllam reginam carceri mancipat, *Guilielmum* filium luminibus priuat, & alios *Tancredi* amicos acerbè mulctat. Quem *p Cælestinus* excommunicauit, ob iniustè exactam à Richardo Angliæ Rege pecuniam. *q* Insequente verò anno *Constantia* Imperatrix, licet prouectæ iam ætatis, filium peperit *Fridericum*, qui post Imperator euasit. *r* Ineunte porro Martio, Germaniæ Principes plurimi in Syriam profecti, *Ioppen* obsederunt, & Principatum Antiochenum recuperauerunt; manente interim *Henrico* Imperatore in Sicilia; vbi in vigilia S. Michaelis Archangeli apud Messanam obijt. anno Imperij sui septimo. Fuit autem Princeps statura mediocri, decora facie, corpore tenui, animo autem imperterrito, & hostibus formidando.

ANNOTATIO. Henrico Sexto *subiungunt nonnulli* Philippum *Sueuiæ Ducem*, Frederici *scilicet Barbarossæ filium*; *alii verò* Othonem Quartum, *Henrici iunioris* Superbi *filium*; *verum vti hic non nisi anno millesimo ducentesimo, nono (tunc etenim veniens in Italiam coronatus Imperator est) ita ille Germanorum quorundam fauore fretus, arripuisse potius Imperium censendus est, quam legitimo Electorum Principum suffragio ad id cooptatus. Vnde toto isto interim decennio vacasse Imperium Occidentis existimant Historici nonnulli, quibus & nos haud inuiti assentimur.*

Cæterum, concertatio vehemens hunc inter & illum de Imperij summa interim exorta est, & arma hinc inde quassata. Nam *Philippus* vt Pontificis fauorem sibi compararet, Thusciæ Ducatum (præter *montem Flasconem*) Pontifici dimisit, & Moguntiæ taliter qualiter coronatus est: *Otho* verò Aquisgrani coronam accepit, sicque Germania duas suo cum periculo factiones fouebat; quoadusque *Philippus* filiam suam *Beatricem Othoni* ea lege in vxorem dedit, vti eo iam mortuo, Regnum ad *Othonem* deuolueretur. Sancita igitur vtrumque pace, cum *Philippus Bambergæ* ageret, & quodam die venam sibi incidi curasset, solus in conclaui paucos secum habens, ab *Othone* de *VVitilspach*, interfectus est, ac *Bambergæ* sepultus, postmodum verò Spiram translatus.

Philippus Moguntiæ coronatus.

Otho Aquisgrani

105. OTHO

Annus Christi | Imperij | Mensis | Dies.

105. OTHO QVARTVS.

PHILIPPO iam è medio sublato, ex consensu Principum, vti 1208
conuenerat, quietè possedit Imperium *Otho*. Qui anno *s* *s* 1209
insequente ab *Innocentio* eius nominis tertio, die vigesima se- *die* 27
ptima Septembris coronatus est. Vir maiori animo & cupi- *Sept.*
ditate, quam consilio & religione. Qui etsi ante coronatio-
nem suam Pontifici sanctè promisisset, se nec rebus nec patri-
monio Romanæ Ecclesiæ obfuturum, regressus tamen in
Longobardiam, fidem violauit. *Faliscos* & *Flamminiam* Pon-
tifici ademit, *Apuliam* inuasit: vnde Ecclesiæ hostis proclama-
tur, eique Imperij ius à Pontifice abrogatur, & excommuni-
catur; tandemque mœrore confectus, cum annis duobus re- 1210
rum esset potitus, (relaxatus tamen prius excommunicatio-
nis vinculo) vitam cum morte, post septennium circiter, com- 1218 2
mutauit.

Ius Imperij abrogatur Othoni. Moritur priuatus.

106. FREDERICVS SECVNDVS.

DEIECTO hoc modo *Othone*, Proceres Germaniæ, Rex Bo- 1210
hemiæ, Saxoniæ & Bauariæ Duces, cum Moguntino *die* 13
Archipræsule elegerunt, permissu Pontificis, Idibus Decem- *Dec.*
bris *Fredericum*, *Henrici sexti* Imperatoris, & *Constantiæ* regi-
næ filium; vtriusque Siciliæ & Hierosolymæ Regem, virum v-
ti magnificum sic & plurimarum linguarum egregiè peritum.
Qui coronam Imperij ab *Honorio t* eius nominis *Tertio* Romæ 1220
accipiens, & in Siciliam properans, Saracenos victos inde ex- *die* 22
pulit. Rediens autem in Apuliam, cum duos *Innocentii* Tertii *Nou.*
Pontificis fratres malè mulctasset, & ne quidem Episcopis pe-
percisset; nata est inter eum & *Honorium* talis dissensio, vt tan-
dem anathematis sententiam incurrerit. *v* Qui armis & lite-
ris scriptis omnia turbans, hostili animo in Pontificem, non *v* 1237
tam Lombardiam quam Romanam Vrbem suæ potestatis fa-
cere, conatus est Sicque Pontificem inter & *Fredericum*, toto
Orbe publicatum est *x* aliquanto post dissidium, exardescen- *x* 1239
te Italia vniuersa dissensionibus variis, & *Frederico* ab impe-
rio deposito. Quem Veneti, Mediolanenses, Bononienses,
aliique confœderati armis lacessentes, varia ipsi loca eri-
puerunt. Illum autem Imperio cedere nolentem cita-
uit *y* INNOCENTIVS Pontifex ad Concilium Lugdu-
nense; sed parere ac comparere detrectans, iteratò lata est. *y* 1245

in eum

Annus Christi	Imperij	Mens.	Dies.
1250 die 13 Dec.			
z 1246			
a 1248			
b 1256 in Febr.			
1273 die 29 Sept.			
1273			
c 1277			
d 1278			
1291 die 15 Iulii.	18		

in eum anathematis simul & abdicationis sententia. Qui tandem decessit *Tarenti* idibus Decemb. *Manfredi* filij nothi dolo (vt quorundam fert opinio) interemptus, cum annis plusquam triginta rebus Imperij præfuisset.

ANNOTATIO. *Postquam* Fredericus *in Concilio Ludunensi ab imperio est amotus, fuit quidẽ in eius locũ expetitus* Henricus *Thuringiæ Lantgrauius, sed in expugnatione vrbis vlmẽsis* z *casu vulneratus interiit: cui substituerunt* a Gulielmum *Hollandiæ comitem. Qui Aquisgranum capiens, ibidem in* Romanorum *Regem coronatus est, duxitque in vxorem filiam* Othonis *ducis* Bruinsuicensis: *qui cum Frisonibus bellum gerens ac succumbens, interemptus est ab illis circa Kalend. Febr. Quem aliqui inter* Cæsares *numerant, aliqui non: affirmantes post depositionem* Frederici, *anno* 1245. *Lugduni proclamatum, vacasse Imperium vsque ad annum* 1274. *Hinc in* Chronicis *Moguntinensibus proditum est hunc* Gulielmum Secundum *eius nominis Hollandiæ comitem, non tam ab omnibus Imperii Proceribus, quam a solo Moguntinensi & Coloniensi electum esse, ideoque inter* Augustos *haudquaquam numerandum.* *Gulielmus II. Hollandiæ Comes, fit Romanorũ Rex.*

107. RODOLPHVS I.

POST tot tandem annorum interregnum, Electores Imperij Francofurti concordes, Imperatorem, diuini quasi numinis suggestu, absentem elegerunt *Rodolphum*, Comitem *Habspurgensem*; qui vti sub finem anni 1273. Aquisgrani est coronatus, ita mox *Gregorium* Papam apud *Losannam* Heluetiorum conueniens, confirmationem ab eodem accepit, in Italiam autem nunquam venit. Fuit verò Princeps non minus manu strenuus, quam virtutum fama conspicuus, ingenio insuper sagax ac prudens. Qui totam Austriam sub ditionem suam redigens, in ea *Albertum* filium ducem creauit: à quo *Austriaci* Principes originem trahunt. Heluetios etiam subegit, & *c Ottacarum* Bohemiæ regem, capta prius Vienna, in ordinem redegit; qui redintegrato contra eum bello, in acie *d* interemptus est. *Rodolphus* autem post res plurimas præclarè gestas, ex Argentina Spiram contendens, in itinere circa *Germerspemium* obijt, anno ætatis septuagesimo tertio die decimo quinto Iulii, sepultus quàm honorificè in vrbe Imperiali *Spira*, regiminis sui anno octauo decimo.

Anno Christi	Imperij	Mensis	Dies

108. ADOLPHVS I.

SVB initium anni millesimi ducentesimi nonagesimi secun- 1292
di, vnanimi quidem Principum consensu, sed miro tamen astu electus est Francofurti Comes de *Nassam Adolphus*, & Aquisgrani coronatus. Qui vt generis sui nobilitatem illustriorem redderet, in Thuringhiam & Misniam profectus, ingenti eos clade affecit, Marchionem Misniæ in deditionem accipiens, & ad pacis ineunda fœdera compellens. Cæterum aliquantò post dum vagis indulget amoribus, dum Ecclesias vastat, virgines constuprat, bella iniusta excitat, omnibus se passim ita exosum reddidit, vt per Electores Imperio abdicatus sit, & *Albertus* Austriæ dux substitutus. Quo cum ferro de summa rei decertans, in prælio occubuit, & successori vel in- 1298 7
uitus locum fecit, regiminis sui anno septimo.

109. ALBERTVS I.

ABdicato intereptoq; *Adolpho*, *Albertus* qui ante Impera- 1298
tor designatus erat, iterũ nono die Augusti electus est à *die 9*
Principibus, & Aquisgrani vigesimo quarto eiusdem mensis *Aug.*
die, coronatus. Qui *Elisabethã Reinhardi* comitis *Goritiæ* filiam in vxorem ducens, perparum præstitisse legitur, quod memoratu dignum esse queat, licet eum *Bonifacius* Papa Cæsarem 1301
dixerit. Quem postea fratris sui filius *Iohannes*, aliorum quorundam Comitum opera adiutus, impijssimè Kalendis Maij 1308 10
trucidauit, postquam regnasset decennio, imperasset autem *die 1.* 8
octennio. *Maii*

110. HENRICVS SEPTIMVS.

ELectores Francofurtũ noua ad comitia Cal. Nou. proce- 1308
dẽtes, elegerũt ibidẽ *Henricũ* Comitẽ Lutzenburgensem; *die 1.*
Henrici comitis, & *Beatricis* comitissæ Hannoniæ filium. Cui *Nou.*
Clemens Pontifex ea conditione ratum Imperium fecit, vti primo quoque tempore in Italiam transcenderet. Vnde vt promisso suo faceret satis, *e* anno regni sui tertio, Italiam in- *e* 1311
gressus, sedauit ciuitatum dissidia, & coronatus Mediolani, hibernauit Genuæ. Romam porro *f* anno insequente veniens, *f* 1312
à destinatis nonnullis Cardinalibus solemni ritu vnctus ac co-

Annus Christi | Imperii | Mensis | Dies

ronatus est Calendis Augusti, deditque operam in hoc itine-
re, vt Italiam *Guelphorum* ac *Gibellinarum* factionibus miserè
conquassatam, tranquillitati pristinæ restitueret. Cæterum
dum in regnum Neapolitanum expeditionem parat, diem
1312. in Aug. | 5 — clausit mense Augusto; fama fuit veneno exstinctum, tenuit
Imperium annis quinque.

III. LVDOVICVS QVINTVS.

1314 — GRAVITER certatum cum esset inter Electores per men-
ses admodum quatuordecim, distractis hincinde ani-
mis propter riuales Imperium ambientes, *Fredericum* Austrię,
& *Ludouicum* Bauariæ Duces; mense tandem octobri Cæsa- *Schisma*
rem renunciarunt: hi quidem hunc, alij verò alterum. Quæ *inter du-*
res per annos aliquot haud mediocriter afflixit Germaniam. *os electos Cæsares.*
Et *Ludouicus* quidem suo cum æmulo, integro circiter octen-
nio bellum alternante fortuna gerens, superior euasit, Prin-
g 1327 — ceps perquam humanus & industrius. Qui *g* Italiam ingres-
h 132 — sus, Mediolani ipso Pentecostes die ferrea est insignitus coro-
na. Romam autem *h* anno sequente veniens, ibi tertia illi im-
posita est à *Stephano* Columnio Cardinale (Pontifice nimi-
rum *Auenione* tunc sedem habente) Illo autem in Germa-
niam redeunte, ciuitates aliquot Italiæ ab eo desciuerunt, &
& Pontifex anathema in eum pronunciauit, *i* vrgens vti se Im-
i 1345 — perio abdicet. Ille verò tergiuersari, ac de iniuria quiritari.
Nec mora; Electores Pontifice cohortante conuocati, mense
k 1346 in Iulio. — Iulio *k* eum Imperiali dignitate priuant, & *Carolum* Lutzen-
burgensem in locum eius subrogant. *Ludouicus* autem ali-
quãto post lapsus equo in venatione, mortuus est anno Chri-
l 1347 die II Octo. | 32 — sti 1347. quinto Idus Octob. anno regni Germaniæ trigesimo
secundo.

Cæterum ne silentio omninò præterijsse videamur riualem
eius, qui cum illo quoque electus fuit, *Fredericum* nimirum, *Frederi-*
cognomento *Pulchrium* sciendum illum fuisse *Alberti* primi *cus eligi-*
Ducis Austriæ, regis Romanorum, ac *Elisabethæ* filiæ Tyro- *tur anno 1314.*
lensi Comitis *Meinhardi*, filium. Quem postquam æmulus
suus *Ludouicus* Imperator anno 1322 *m* bello superasset, ac tri- *Moritur.*
m 1322 — ennali carcere macerasset, haud longè post animam exhalare
contigit.

IIII. CAROLVS QVARTVS.

1346 in Iulio — VIVENTE adhuc *Ludouico* subrogatus est *Carolus* Lutzen-
burgensis, *Iohannis* Bohemiæ regis filius, Pontifice Ro-
mano

Annus Christi	Imperii	Menses	Dies
n 1355.			
o 1357.			
1378. Die 29 Nou.	32 23		
1387.			
1400 mense Sept.			
1410.	10		

Guntherus Romanorũ Rex eligitur & moritur anno.

mano electionem approbante. Contra quem Principum nonnulli *Guntherum* quendam *Suuartzenburgensem* Comitem elegerunt; qui veneno haud longè post à medico suo potionatus, interijt. *Carolus* verò solus iam rerum potitus, in Italiam descendit; & primò quidem *n* Mediolani quarta Ianuarii ferreâ, postmodum autem Romæ quinto Aprilis à duobus Cardinalibus, ad id ab *Innocentio* Papa designatis, aureâ est coronâ condecoratus. Hic est Imperator ille, qui Constitutionem Carolinam, *Bullam auream* nuncupatam, de Imperatorum eligendorum ratione, adeoque Principibus ipsis, *o* anno regni sui vndecimo promulgauit: & *Pragam* Bohemici regni caput ampliorem reddidit, Academiæq; erectione celebrem effecit: qui pernitiosum *Flagellantium* sectam per Alemanniam grassantem, eiecit; plurimaque denique Canonicorum collegia, ac Monachorum cœnobia construxit, ac filium suum *VVenceslaũ*, assensu Principum, successorem regni constituit. Cæterum è Francia, quò se contulerat spe pacis Francum inter & Anglum constituendæ, in Bohemiam redux, decessit, ibidem tertio Kalend. Decemb. anno regni sui 32. à coronatione verò Romana 23.

113. WENCESLAVS.

SVCCESSIT hic quidem parenti suo *Carolo*, sed impari euentu: Quippe, qui voluptatis vinique amantior, quàm Imperij promouendi studiosior exstitit: tam animo quam corpore deformis. Qui non solum à fratre suo *Sigismundo* captus & incarceratus, verum etiam ab Imperij Principibus regno priuatus fuit, postmodum illud perditè satis annis viginti & vno administrasset.

114. RVPERTVS.

VVENCESLAO ab Imperii habenis amoto, capessendas eas tradidêre Electores *Ruperto*, *Bauariæ* Duci, & Comiti Palatino, viro & armis exercitatissimo, & iustitiæ cultori tenacissimo. Qui cum res Imperij Germanici per decennium fideliter administrasset, ex inopinato obiit in *Oppenheim*, sepultus *Heidelbergæ* in Palatinatu.

Ruperto *anno* 1410. *defuncto, quidam* Historici *vsque ad Martium insequentis anni 1411. substituunt* Iodocum *quendam, Morauiæ & Brandenburgii Dominum. Quo de quia nihil nobis compertum, missum eum faciemus.*

Annus Christi	Impe-rij	Mens.	Dies.
1411 mense Mar.			
p 1412			
q 1432			
1437 die 9 Dec.	27 6		
1438			
n 1434			
1439 Die 22. Octo.	1	10	
1440			
f 1452			

115. SIGISMVNDVS.

ANNO autem millesimo quadringentesimo vndecimo, mense Martio Electores Imperij *Sigismundum* Imperatorem acclamarunt, Hungariæ nimirum Regem, *Caroli* IV. Imperatoris ex *Iohanna* filium, eruditione, probitate ac pietate ornatißimum. Qui *p* Longobardiam ingressus, conuenit cum *Iohanne* Papa de indicendo Concilio Constantiensi, ad tollendum plurimorum aliquot annorum schisma in quo dãnatus est *Hußius*. Coronatus est autem Romæ ab *Eugenio IV.* *q* anno regni sui vigesimo secundo, fuitque insignis Husitarum in Bohemia domitor: qui fato tandem in Hungaria concessit quarto Idus Decemb. anno Imperij vigesimo septimo, à coronatione Romana, sexto, sepultus *Albæ Regali*.

116. ALBERTVS SECVNDVS.

ELECTORVM consensu successit *Albertus*, Hungariæ & Bohemiæ Rex, *Sigismundi* Cæsaris gener, vti socer moriens optauerat. Qui *Elisabetham* Sigismundi filiam in vxorem ducens, & Polonos regnum Bohemicum ad se transferre conantes è regno deturbauit, intraque suos fines quiescere cõpulit. Cæterum contra *Amurathen* Turcam, Hungariam incursionibus infestantem, *r* ingenti cum exercitu euocatus, ac retrocedere coactus, re infecta Budam redijt. Vbi calore feruentis Augusti vexatus, peponibus sitim sedare cupiens, in alui profluuiem incidit, dysenteriaque fatigatus propè Strigonium Heros religiosissimus, exstinctus est, cum annum duntaxat vnum, & menses decem regnasset. die 22. Octob.

117. FREDERICVS TERTIVS.

OMNIVM Electorum votis Electus est Imperator *Fredericus*, eius nominis *Tertius*, *Ernesti* Ducis Austriæ, & *Cimburgæ* ducissæ Massouiæ filius. Qui ducta in vxorem *Leonora*, Eduardi Lusitaniæ Regis filia, in Italiam transcendit; Romamque ingressus, insigni cum honoris significatione à *f Nicolao* Pontifice exceptus est, ac decimo quinto Calend. Aprilis Regali diademate solemni cum cæremoniarum ritu insignitus,

Augu-

Auguſtuſq; acclamatus. Cæterum, fatiſcentibus iam annis operam dedit, vt *t Maximilianus* filius eius bona cum Principũ Electorum gratia, Romanorum rex renuntiaretur: ſicque annum ætatis attingens ſeptuageſimum octauum, Viennæ diem vitæ clauſit extremum quarto decimo Kalend. Septemb. poſtquam regnaſſet annos 54 imperaſſet verò 42.

118. MAXIMILIANVS I.

HAVD longa opus fuit in ſucceſſore acquirẽdo deliberatione, quando viuente adhuc *Frederico*, filius eius *Maximilianus*, anno 1486. menſe Aprili Aquiſgrani coronatus fuit. Qui annum agens duodeuiceſimum, *Caroli* Burgundiæ Ducis filiam vnicam, nomine *Mariam* in vxorem duxit; qua cum & Burgundiæ Ducatum, & Belgicas ditiones omnes dotis nomine cõſecutus eſt; a *Mathia* Pannorum rege defuncto, eius inſuper ditionem ſibi vendicauit, plurimaque diuerſis in locis bella grauiſſima, per ſe perque ſuos vario rei euentu adminiſtrauit: *1. Italicum* quidem contra *Carolum* Gallorũ Regem; *2. Bauaricum* vero contra *Rupertum* Rheni Palatinum; 3. *Helueticum* autem non ſine inſigni iactura ſuorum. Mortuus verò eſt ventris profluuio pridie Idus Ianuarii anno regni ſui vigeſimo quinto.

119 CAROLVS QVINTVS.

VENTVM eſt tandem ad te *Carole* Imperator verè *Magne*, ſi non *Maxime*. Qui rerum tuarum pręclarè geſtarum gloria Chriſtianum implens Orbem, perpaucos tui ſimiles habuiſſe prædicaris. Cuius laudes ac virtutes quia non ſolum *Surius*, bonæ fidei author, ſed & complures alii editis literarũ monumentis ad poſteros copiosè tranſmiſerunt, nos eam ob cauſam breuiores hic erimus, & paucula duntaxat hinc inde delibabimus.

Natus eſt *Carolus Auſtriacus*, *Philippi* Hiſpaniarum regis, & *Iohannæ* (hæc autem filia fuit Ferdinandi & Eliſabethæ Caſtiliæ Regum) filius, Gandaui in Flandria. Diui Matthiæ Apoſtoli ferijs, anno videlicet Iubilæo inſigni; quem poſt obitum *Maximiliani* Cæſaris, agentem tunc annum vndeviceſimum, *Septemuiri* qui ea de de cauſa Francofurti comitia habebant, *v* Imperatorem elegerunt, & anno dein ſequenti inſigni cum ſolemnitate Aquiſgrani coronauerunt. Anno autẽ regni ſui duodecimo, *x* die qui S. Matthiæ ſacer eſt, ipſi verò natalis, Imperiali corona Bononiæ à *Clemente Septimo* donatus eſt. Geſſit autem Imperij ſui tempore diuerſa non cum Turcis dun-

Annus Christi	Imperij	Menſ.	Dies.
t1486			
1493 die 19. Augu.	54 42		
1493			
1519 die 12 Ianu.	25		
1600 die 24 Febr,			
v 1519 die 28 Iunij.			
c 529			

Annus Christi	Imperij.	Mens.	Dies.
a 1525			
b 1527			
c 1530			
d 1535			
e 1532			
f 1535			
g 1546			
h 1555			
1558 21 Sept.	37 26		
1558 die 3 mar.			
	8		
1564 die 25 Iulij.			

duntaxat, sed & cum *Protestantibus* hæreticis, *Francis, Venetis, Menapiis* alijsque compluribus bella aliquot vti armis atrocia, ita exitu fœlicia. Nam *a Franciscum* potentissimum Galliarum Regem circa Papiam deuicit, deuictumque in Hispaniam misit; *b* Romam per *Borbonium* exercitus sui Ducem, potestatis suæ fecit; *c Florentinos* obsidione & fame expugnauit; *Senenses* deditione subiugatos, humiliauit; *d Barbarossam* Regem Tunetanum ex Africa, captâ & vi expugnata *Guleta* profligauit: *e* Innumerabilem preterea, Turcarum exercitum, Viennam obsidentem in fugam ire compulit; occisis aliquot illorum millibus, *f* Romamque aliquanto post *Triumphator* intrauit. Neque hic stetit res; quin Germaniam quoque vniuersam, à *Protestantium* Regulis in se armis concitatam, victrici manu subiugauit ac debellauit, ipsumque adeo *g Saxoniæ* Ducem, & *Hassiæ* Landgrauium, ceu cæterorum capita, in Belgium captiuos asportauit: prorsus vt victoriarũ satur, Deo ac sibi ipsi reliquum quod vitæ supererat transcribere prudétissimus pientissimusque *Monarcha* maluerit, quàm bellorum amplius gerendorum victorijs insistere. Vnde sicuti *h Ferdinando* fratri diadema Imperij, ita & *Philippo* filio suo vnico, regna ac ditiones suas omnes, libens volensque concedens, in sacram se solitudinem apud Hispanos, vitæ religiosæ desiderio inflammatus, raro æui nostri exemplo, abdidit, postquã videlicet regnasset annis triginta septem, imperasset verò viginti sex. In quo quidem optatæ solitudinis secessu quietissimè biennnio viuens, fœliciter tandem ad Dominum, vndecimo Calend. Octobris migrauit, cum vixisset annos sexaginta octo, menses sex, dies viginti septem.

120. FERDINANDVS. I.

POst resignationem *Caroli*, Principes Francofurti existentes, ac ratum habere volentes quod is iam dudum de fratre in animo habebat, confirmarunt eius desiderium, ipsumque *Ferdinandum*, Hungariæ regem, *Imperatorem* acclamarunt. Qui postquam ad annos circiter octo rem benè gessisset, diem suum Viennæ obijt ipsis Diui Iacobi Apostoli ferijs: laudatissimus planè Princeps, & ab omnibus de pietate in Deum & charitate clementiaque in subditos commendatus.

121. MAXI.

Annus Christi | Imperij | Mens. | Dies

121 MAXIMILIANVS II

1564

SVCCESSIT haud longè post filius eius *Maximilianus*, ex *Anna* Hungariæ regina prognatus. *i* Qui in Hungaria contra Turcas per Archistrategum suum *Lazarum Svvendium* fœliciter rem gerens, eos in effusam fugam compulit: in pace quoque Belgica componenda plurimum laborauit, *k* fratre suo ad hoc in Hispaniam ad Regem ablegato. Quem procerũ Polonorum nonnulli ad Polonicam capessendam coronam suffragiorum suorum calculis nequicquam promouere studuerunt. Ipse verò paulo postquam in comitijs Ratisbonensibus Germaniæ Principum opem contra Turcas impetrasset, & annis admodum duodecim Imperium prudens piusq; Princeps gubernasset, calculi dolore animique mœrore confectus, quarto Idus Octobris ad meliorem vitam migrauit, dignam optimo Imperatore posteris memoriam relinquens.

i 1565 — *k* 1575 — 1576 *die* 12 *Octo.* — 12

122 RODOLPHVS II.

MAximiliano subrogatus est filius eius natu maximus *Rodolphus*, Bohemorum æquè ac Hungarorum Rex; Princeps vt cæteris heroicis virtutibus, ita Catholicæ religionis promouendæ studio flagrantissimus. Qui & ipse non parum operæ in eo posuit, vt Belgarum tumultus pace composita sedaret, & Turcarum impetus à Christianorum finibus propulsaret. quin & seditiosos Aquisgranensium hæreticorum aliquot annorum interuallo durantium, motus viriliter repressit, ac tantum non extinxit. qui dum Imperii habenas gubernasset annis triginta quinque, in arce sua Pragensi quarto Idus Ianuarii placidè, annorũ sexaginta existens, exspirauit.

1576 — 35 — 1612 *die* 12 *Ian.*

123. MATHIAS.

SVCCESSOREM accepit *Rodulphus* mense Maio fratrem germanum *Mathiam*, Archiducem Austriæ, atque Hungariæ Regem qui de rebellibus tum Aquisgranensibus tum Francofurtensibus supplicium sumens, cum septennium in Imperio propemodum exegisset, natus iam annos sexaginta duos, vitæ simul ac Imperio decimo tertio Kalend. Aprilis finem imposuit, apparatu planè insigni Viennæ in Reginarum Virginum Cœnobio Martii die vigesimo tumulatus.

1612 *mese maio* — 1619 *die* 20 *Mart.* — 7

123. FER-

Annus Christi	ImPerij	Mensi	Dies
1619 die 28. Aug.			
a 1619			
b 1620 mens. Nou.			

123. FERDINANDVS II.

POST obitum verò *Matthiæ*, varijs hinc inde habitis consultationibus, cùm Electores Ecclesiastici personaliter Francofurtum inuolassent, seculares verò per Legatos solummodo comparuissent, orta est dissensio non minima *Orthodoxos* inter & *Heterodoxos*, tumultantibus etiam ciuibus, hūc vel illum importunè Imperatorem efflagitantibus. quando interim diuino nutu factū, vt Hungariæ Bohemiæq; Rex *Ferdinandus*, quinto Kalendarum Septembris festo nimirum B. *Augustino*, celeberrimo Ecclesiæ Doctori sacro, vnanimi Septemuirorum calculo idoneus est reputatus, qui fluctuantes Imperij procellas, Turcarum simul ac *Gaboris Bethlemi* opera concitatas, ceu prudentissimus potentissimusque Princeps, consopiendas tranquillandasque *Imperator* ipse susciperet: coronatus ibidē in Ecclesia S. Bartholomæi ab Archiepiscopo Moguntino die nono Septēbris. Cuius pientissimo conatui etiam cœleste Numē huc vsque notabiliter fauere visum est, eiusq; actiones domi forisq; contra Imperij fideiq, hostes susceptas, dirigere atq; in melius promouere. Nā necdum Imperator, cùm *Venetis* triennio tam strenuè rē gessit, vti eorū non paucos internecione deleuerit; prorsus vt belli ancipitis pertæsi, *a* pacis cum eo fœdera inire debuerint. Cæterum Imperij habenas iam nactus, *a*duentitium quendam hospitem Bohemicæ coronæ insidiantē, regniq; metropolim occupantē, *b* nō solum ocijssimè munitissima vrbe expulit, sed et exercitū eius valdè numerosum, in suburbio iuxta therothrophiū, seu stellā vt vocant, diuina potius quā humana ope superauit ac prostrauit. Nec admiratione caret, quod totum sibi Palatinatum tam breui temporis spatio subiugare, & *Mansfeldium* capitalem quasi Imperij hostem, suis cum complicibus toties cędere ac fugare potuerit. quem quidem in hoc continuo victoriarum suarum cursu Supremus ille cœli terræque *Monarcha* fœliciter vt conseruet, ac tandem æternę beatitudinis corona lætificet, votis omnibus optamus ac rogamus.

FINIS CHRONOLOGICÆ IMPERATORUM Historiæ.

IN-

INDEX ALPHABETICVS

TAM Romanorum quam græcorum Imperatorum: cuius primus numerus paginam; alter vero annum quando regnare, vel Imperare coeperunt, significat.

Michael

FINIS.

Errata pro vitis Imperatorum.

S*Citò, beneuolè* Lector, *quod in adsignandis Impratorum numeris etiam hic prelum nonnunquam aberrauerit, qnod tuo ipsemet studio facilè corriges* Cæterum in proloquio lin. 7. legendum est *orbem* pag. 14. lin. vlt. amoris p. 3. lin. 16. aliquanto post. pa. 16. n. 12. cœptum est in numeris quorundam Jmper. deuiari quando. Nerua cocceius debet esse 13. non autem 12. pag. 17. l. 14. paulo pag. 19. li. 6. à fine Xiphilinus pag. 21. l. 12. à fine Aurelianorum p. 23. lin. 8. à fine Septizonij p. 25 lin. 1. eam p. 26. lin. 5. deest. à Max. p. 27. lin. 6. designasset. p. 32. l. vlt. hic. p. 39. lin. 9. à fine ponendum est in textu & in margine Valentinianum imperasse annis duodecim qui obijt anno. 375. Jn fine p. 21. ad marginem pro 19. pone 195. pag. 41. l. 3 num. 50 Africa ib. lin. 8. à fine Juliarum pag. 44. lin. 1. Nam mox p. 48 lin. 1 coronari pag. 84 lin. 9. Bedirina pag. 55. lin. 10. *Affectati* pag. 57. l. 17. exosa pag 58. lin. 16. à fine armatorum pag 58. 18. Theophylus p. 55. l. 2. à fine Byxantini p. 59. l. 7. Pallatij p. 61. l. 22. pice ibid. l. 24. detonsam ibid. l. 26. eiectus ibid. l. 26. eiectus ibid. l. 6. à fine prudenterque p. 64. l. 14. à fine redegit p. 64. lin. 14. obsideret p. 58. lin. 12. Logotheta p. 69. lin. 11. pugnaturus ibid. l. 19. inediâ p. 70. l. 7. pro *fere* legendum *siue* pa. 72. lin 17. vocabantur ibid. l 24 Gargano p. l. 12 permiscens. p. 76. l. 4 Cassinens. pag. 80. l. 5. Lugdun ibid. lin. 14. proclamatam p. 80 l. 3. à fine Germesheimium. Cætera quia leuiora, ignoscendum est vulgatæ & [illegible]tatæ præli consuetudini. Nam.

Quis liber à mendis liber? vix vllus in orbe:
Semper habent mendas denia prela suas.